UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


De Vita Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv, Ferdinandi S. Rom. Imp. Principis, Marchionis Castilionensis F. Natu Maximi, Libri Tres

Cepari, Virgilio

Coloniæ Agrippinæ, 1608

urn:nbn:de:hbz:466:1-43934

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2472.

K

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th. 2472.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

[illegible]

Anno 1612.

Soc.tis Jesv Paderbornæ.



Cæco visum restituit.

Surdo reddit auditum.

DE VITA BEATI
ALOYSII GONZAGÆ
E SOCIETATE IESV,
FERDINANDI S. ROM. IMP. PRINC. MARCHIONIS CASTILIONENSIS F. NATV MAXIMI,
LIBRI TRES
AVCT. VIRGILIO CEPARIO SACERD. EIVSD.em SOC.
a
FRANCISCO IBIDEM MARCHIONE S.mo D.N. PAVLO V. PONT. MAX. DEDICATI
Permissu superiorum.



Mulieris morbum medicor Iudicio sectione mammille inuigetæ inuocato illico dissipat. adhibet chirurgi, vt sciat eam sanã repperit.

Quãplurimi variis infirmitatib laborantes, ope B.ti Aloysij implorata, recuperant sanitatẽ, et Romã ad eius sepulcrũ vota transmittunt.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
SVMPTIBVS BERNARDI GVALTHERI.
ANNO. M. DC. VIII.
Cum gratia et priuil. Sac. Cæs. Maiest.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



BEATVS LVDOVICVS GONZAGA E SOC. IESV.

Sapientiæ. IV.

Consummatus in breui explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius.

SANCTISSIMO D. N. PAVLO V. PONT. MAX.

FRANCISCVS GONZAGA S. R. IMP. PRINCEPS MARCHIO CASTILIENSIS.

BEATISSIME PATER. Cùm B. ALOYSIVS GONZAGA Frater meus maior (quo me quidem honore indignum esse sentio) propter vitæ, quam in terris egit sanctitatem, propterque res, intercedentibus eius precibus, post mortem, supra vim naturæ factas, in ea sit gloria, vt non in Italia modò, sed in exteris etiam oris, eius imagini siue in tabellis, siue in ære expres-

ſę, ad inſtar cęleſtium, veneratio, honorque habeatur: & verò familiarum conſuetudo ſit, maiorum fama illuſtrium memoriã, honoremq;, cõſeruandis eorum ſimulachris, propagare; ſtatuerã & ego hanc hiſtoriam meæ erga illũ pietatis & obſeruantiæ monumentum, ad meam, poſterorumque vtilitatem domi cuſtodire. quippe quæ non corporis, ſed animi ſit effigies. quę quidẽ noſtri pars eò eſt admirabilior, quòd omnem in cætera parte admirabilitatẽ facit: eò dignior, quòd omnis dignitatis, meritiq; eſt auctor. Verum poſtea, hortatu Clementis Octaui Pont. Max. æterna memoria digniſſimi, qui cùm & qua ille ſanctimonia ætatem traduxiſſet, teneret memoria, & editorum ab eo miraculo-

rum

rum famam auditione accepiſ-
ſet,eum bono publico vulgatũ
iri iudicabat, mutato cõſilio ty-
pis commendare decreui. Id qui-
dem,dum ille vixit, ideo perfice-
re non licuit, quòd interea de-
ceſſit è vita, dum ego Cæſaris
domini mei accerſitu in Germa-
niam ſum profectus. Iam verò,
poſtquam Tu illi, ſanctiſſime
Pater, ingenti omnium ordinũ
gratulatione es ſuffectus, neque
hanc modò illius voluntatẽ ap-
probauiſti,ſed etiam, poſtquam
de prẹclaris virtutum eius exem-
plis,morumq́; ſanctitate,ab illu-
ſtriſſimis Cardinalibus, quibus
id negotium dederas,in ſacro il-
lo ſenatu certior es factus,ſupe-
rioribus diebus, dato ad me re-
ſcripto,eum Beati titulo coho-
neſtare dignatus es,eius nunc vi-

tam non ijs modo miraculis, quę ad illam diem erant edita, sed etiam, quæ deinde sunt consecuta, auctam, tuo beatissimo nomini, quàm possum demississimè consecratum venio. Quod cùm alijs de caussis faciundum putaui, tum verò præcipuè, vt quando cælestibus, à supremo orbis terrarum consilio, cui tu, Beatissime Pater, præsides, æterni honores decerni solent, ac de ijs huic etiam Beato adolescenti mandandis, in eodem agitur, cognoscas quanto eius merito, quamque iustis de causis, eorum illi copiam facere possis. Quod quidem te facturum vt cõfidam Tua benignitas iubet, & vt quã primum annuas precor, neque nostra modo omnium Gonzagiæ gentis principum, sed tot etiam

iam aliorum vota exaudias, qui vt eum in Diuorum numerum ascribas obnixè orant, idque, si abste impetrari fines, sibi, suæque ditionis populis multò gratissimum fore profitentur. Ad extremum, pedes Tuos, more maiorum, veneratus, mihi vt bene preceris, etiam atque etiam rogo.

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO,

FRANCISCO GONZAGAE,

S. ROM. IMP. PRINCIPI, MARCHIONI CASTILIONIS, Medoles, &c.

RVDOLPHI II. CAESARIS CVBICVLARIO, CONSILIARIO, ATQVE APVD S.mum D. N. PAVLVM V. PONT. MAX. Oratori.

VIRGILIVS CEPARIVS E SOCIETATE IESV S. P. D.

ILLVSTRISSIME, atq; excellentiſsime Princeps. Beatus ALOYSIVS GONZAGA Frater Tuus maior, iam inde à prima pueritia, tanto ſe ardore Chriſtianæ religioni, & pietati dedidit, vt annum circiter octauum decimum, ſtudio Societatis IESV ineundæ, Rudolpho Marchioni, fra-

ni fratri item ſuo, ditione auita, fortunisqúe ceſſerit. Ibi in breui tam præclaram excellentis virtutis gloriam eſt adeptus, tantumq́ ſanctimoniæ nomen, quantum deinde poſt eius mortem, Deus miraculis, ipſo deprecante præſtitis, declarauit. Igitur omnium conſenſu inter eos eſt numerandus, quorum vitæ, velut commune Chriſtianis hominibus, ac ſalutare documentum, produntur litteris: atq́ eo conſilio huius mihi libri de eius moribus componendi, à maioribus meis prouincia commendata eſt. Eum, quando nunc, Deo beneuolente, abſolui, mitto ad te, Princeps excellentiſsime, quaſoq́ vti certiorem me facias, velíſne in lucem exire. Tametſi enim non dubito, quin id ad augenda aduerſus Deum hominum ſtudia non parum ſit habiturum momenti, tamen abſq́ Tua voluntate mihi tantum licere non putaui. Quare tibi eum offero donoq́, cui meritò debeo, non ob communionem ſolum ſanguinis, qua proximè eum contingis, & amorem, quo ille te ſemper eximio complexus eſt, verum etiam (quod equidem pluris æſtimo) quòd in hoc, quem tenes, vitæ gradu, ipſius animi innocentiam, virtu-

temq; amularis. Quocirca non dubitauit aliquando Brixiensis Antistes negare, esse quòd de ea suæ diœcesis parte sit sollicitus, quæ in Tua, Excellentissime Princeps, ditione est posita. Te siquidem, Tuamque coniugem Bibianam Perneſtainiam, Principem feminam longè lectissimam, cùm præstantibus laudabilis vitæ exemplis, tum verò pleno religionis imperio, tantæ erga Deum obseruantia ac pietate parentis vobis populi animos imbuisse, vti vel se amplius promouere posse desperet. Accipe igitur, Excellentissime Princeps, leue quidē hoc donum, sed quod pro singulari mea in Te pietate, propenso animo à me datur, eaq; re reficete, & recrea, quòd inclyti Tui generis homines non militaribus modo virtutibus, & amplitudine subiectarum suæ potestati, ditionique regionum in terra, sed etiam germanæ virtutis, & sanctimoniæ gloria in cælo florere cognoscas.

AVCTOR

AVCTOR OPERIS PIO LECTORI.

NEMO Historias, vitasque hominum, qui alijs, atq; alijs temporibus in Ecclesia Catholica sanctitate floruerunt, attigit, quin legendo compererit, Diuinam prouidentiam, quoties sanctum quempiam, rectique exempli hominem orbi concessit, plerumque ferè vnum aliquem ex eius notis, ac familiaribus prouidisse, qui, cælesti instinctu, vitam illius, moresq; describeret. videlicet ne, quorum vitæ norma sunt bene viuendi, rectamq; ad cælestē beatitatem viam longè certius, quam libri, sermonesq; commonstrant, eorum fama morte terminetur, sed velut commune quoddam bonum, ac documentum posterorum, consequentibus etiam ætatibus vigeat. Iam verò rerum à veteribus illis inclytis vitæ sanctimonia viris (quippe à nostro vsu, sensuque remotioribus) gestarum monumenta, omnibus licet virtutum exemplis referta, non, quantum par esset, in multorum animis ponderis habent, & admirationem ferè potius, quàm æmulandi studium mouent. Igitur non verentur interdum nonnulli negare, posse iam ad eum absolutæ virtutis gradum

dum, quem antiqui feliciter contigerint, quemquam aspirare. quasi verò vicissitudine temporum, animorum quoque, & cælestium præsidiorum vires hebetentur. Hac adeò de caussa, non sine Dei numine, in Ecclesia, quæ pulcherrimi horti instar ornata est, noui indies homines, qui ad cælum accurato quodam genere viuendi nitantur, velut stirpes, floresque recentes exoriuntur. nimirum vt intelligamus liquidò, non esse abbreuiatã manum Domini, & perinde nunc ac olim in Deo perfectæ sanctitatis officijs colendo versari licere. In his fuit nostra memoria ALOYSIVS GONZAGA beatus, neq; paribus vnquã suæ præstantiæ laudibus celebratus adolescens, qui trium & viginti annorum, triumque mensium spatio, quibus vixit, tantum innocentia vitę fragrauit, & vsque eo virtutum meditatione prouectus est, vt quotquot eum norunt, admirationem, compluribus etiam qui eo sunt vsi familiarius, suis vestigijs insistendi amorem incusserit. Huius insigniũ facinorum fructu, ne ij carerent, qui viuentem ignorarunt, Deus, pro eo ac solet, ad annotanda scriptisque mandanda, quæ de eius vita habuere comperta, plurium animos impulit. Nam, vt omittam quod in Annuis litteris Societatis IESV anni M. D. LXXXV. typis editis, cum de Domo probatio-

bationis Romana agitur, eius ad Religionem acceſſus compendio traditur, quodq; in vita Eleonorę Auſtrię Archiducis, Mantuæ Ducis eminentiſſimę feminæ, quę item typis vulgata eſt, ex opportunitate, multa cum laude, iterum idem in religioſam familiã ingreſſus, & è vita exceſſus attingitur: princeps ALOYSII virtutes prodendi litteris Hieronymus Platus, auctor operis de Dignitate Cardinalis ad Fratrem, item alterius de bono ſtatus religioſi, vir raris naturæ, Deique muneribus, ſed in primis excellenti iudicio, ac prudẽtia, & eximia pietate, & religioneque præditus fuit. Is cum Romæ in Domo profeſſorum Societatis IESV tirones, qui eò ſacris miniſtratum mittuntur, eo tempore gubernaret, quo Ludouicus & ipſe adhuc tiro, eodem venit, ab eo exegit, vti ſibi vitam ſuam omnem, propoſitum amplectendæ religionis, beneficia denique omnia, dum adhuc in ſeculi licentia degeret, accepta diuinitus ex ordine ediſſereret. quæ quidem cum ei inuſitata, planeque egregia, neque niſi à peculiari quadam Dei gratia, & fauore profecta viderentur, adoleſcente digreſſo, breui ſcripto cũcta complexus eſt. Proximus ab hoc ego, vitam eius, dum adhuc viueret, Romæ contexere ſum aggreſſus: nam cum in Collegio Romano, ipſo familiari atq; intimo,

pro-

propè assiduò vterer, sentiremq; eius verbis, ac moribus audientium, spectantiumque animos, perinde ac sanctorum factis ritè præparata mente, proficiendiq; studio legendis ad pietatem incitari, existimati apud homines etiam externos, eius sanctitatis exempla, siquam illorum cognitionem cepissent, eandem vim habitura. Ergo Dei, nisi fallor, impulsu, studio quam plurimorum commodis seruiendi, vitam eius commendare litteris decreui, idque consilium P. Hieronymus Platus, quicum illud communicaram, nō modo approbauit, sed etiā vt stimulum adderet, scriptum illud suum quod adhuc reconditum habuerat, mihi tradidit. Hoc igitur subsidio vsus, additisque quæ vel obseruaram ipse, vel ab alijs acceperam, duobus ferè annis priusquā migraret è corpore, res eius ita sum executus, vt tamen nequà ad eius aures peruenirem, perpaucos earum participes facerem. ALOYSIO nobis erepto Robertus Bellarminus, qui nunc Cardinalis est, & priorem illam vitam magna cum animi sui voluptate euoluerat, magnoperè mihi auctor fuit, vti res postremis duobus annis gestas, quæ adhuc deerant, adiungerem. Verùm cum per id tempus alijs negotijs distinerer, cum multiplicem rerum copiam collegissem, eam omnem P. Ioanni Valtrino dedi, qui circa eos dies ad scribendos Societatis annales

nales è Sicilia aduenerat, vt vel ipse incœpta mea absolueret, aut ijs, quò commodum esset, vteretur. Is etsi ALOYSIVM nunquam cognorat, vbi tamen in Collegio Romano tam insigni sanctitatis fama clarere sensit, minimè cunctandum ratus, dum res eius in annalibus collocaret, singulari volumine vitam eius conscripsit. atque hæc altera Ludouici vita in hominum manibus versata est. Verum quoniam ea fere quibus in scribendo nixi eramus, magnam partem erant sancto quodam astu ex adolescentis ore elicita, qui pro suo humilitatis studio res suas ita narrabat, vt multa detruncaret, multa eleuaret, plurima reticeret, desiderium nos incessit, singula, adiunctis etiã temporum, locorum, personarũ notis exploratius cognoscendi. Itaq; cum de pluribus Mantua, Castilione, aliunde certiores fieri petissemus, tanta rerum varietas, & cumulus accessit, vt vniuersam narrationem retexẽdam, atque à capite arcessendã esse duceremus. Interea Valtrinus re infecta abit è vita. at R. A. P. Claudius Aquauiua Societatis IESV Præpositus Generalis, quòd optaret inprimis, adolescentis tam sancti vitam omnis præclari exempli documentis ornatam, lucem aspicere, me nouum iubet historiæ pertexendæ & absoluendæ impetum capere.

Equi-

Equidem eam prouinciam, velut de cælo mandatam accepi,& quò de omnibus plenius erudirer primùm Florentiam iter instituí, vbi per plures dies ex Franciſco Turcio, qui hodie Ioannis Medicei viri Illuſtriſſimi familiæ præeſt, totam adoleſcentis ætatem ſingillatim exquiſiui. is enim cũ ALOYSIVS naſceretur, verſabatur in aula Ferdinandi Marchionis, à quo deinde ei pueritiæ cuſtos, ac morum præfectus additus,& octodecim ipſos annos, donec Societatis tyrocinium ingrederetur, famulatus, quòd omnium eius itinerum comes fuerit, neque vſquam ab eius latere diſceſſerit, vitam omnem adoleſcentis liquidò perſpectã habet. Florentia me in Galliam Ciſalpinam tranſtuli, ac poſtquam Caſtilionem, cuius ditio ALOYSII fuit, perueni, ex adoleſcẽtis matre Illuſtriſſima femina, itẽ notis omnibus, & quotquot priſtina adhuc fortuna vtenti miniſtrarant, accuratè ſingula ſum percunctatus, & quo plus momenti haberent, permiſſu epiſcopi, in eius vitam, ac mores legitimè inquiri, deq; ijs duo bene ſpiſſa inſtrumenta confici mandaui. Adhoc monumenta de eo ſcripta è Gallia vlteriore,& Hiſpania, teſtimonia item & auctoritates ſolemni more tum in Polonia, tum in Italia coram plurimis Eccleſiaſticis tribunalibus conſignatas accepi: nempe, coram

ram Patriarcha Veneto: coram Archiepiscopis Neapolitano, Mediolanensi, Florentino, Bononiensi, Senensi, Taurinensi: coram Episcopis Mantuano, Patauino, Vicentino, Brixiano, Foroliuiensi, Mutinensi, Rhegiensi, Parmensi, Placentino, Montis regalis, Anconitano, Recinetensi, Tiburtino. Quin & ipse vrbes omnes, & oppida, vbi certiorem de his rebus me fieri posse sperabam, non semel peragraui. ac denique ad scribendum, Brixię cõsedi, vnde promptum erat, Castilione, qui prope abest, de ijs quæ dubitationem faciebant quam primum doceri. Ex his testium, scriptorumq; obsignatis tabulis, omnia, quæ narro, deprompsi. ac profiteor nihil me de huius Beati Dei famuli virtutibus, afferre quod non grauibus testibus iuratis, planum fieri possit, de quo viri illi Reuerendi, & Religiosi infrà citati, qui hanc Vitam cum instrumentis contulerunt, testimonium dicunt. Interiores animi virtutes ab Illustrissimo Cardinale Bellarmino, è scripto illo Hieronymi Plati, è complurium superiorum interrogationibus, è confessionum eius præsidibus, ex alijs denique qui intimos animi mores vel ex familiaritate introspexerunt, vel direxerunt, accepi. Ea quæ magis patent, quæque ante susceptam religionem euenerunt, didici è Francisci

Gonzagæ Episc. Mantuani viri R.mi & Ill.mi tũ sermone, tũ chirographo, quod etiã iureiurando stabiliuit, è Prospero Gonzaga V. Ill.mo qui inter initia baptismi sponsor pro eo fuit, ac deinde multum illo vsus, plurima nouit de eo singillatim è Matre, Moderatore, cubicularijs, famulis, qui à prima pueritia in eius famulatu, socijq; itinerũ, quæ in multas oras habuit, fuerunt, quorũ omniũ testimonia legitimis tabulis sunt consignata. Horum te Lector, nesciũ esse nolui, nõ diligentię meę venditandę caussa, sed vt noris, hæc, quę abs te fidem impetrare velim, à me, quę sũt historici ꝓpriè partes, ex fide scripta esse. Stilo vsus sum simplici, & familiari, nullo artificio, aut amplificatione rhetorica. Narratio non est certis capitibus deuincta, sed vt in prõptu sit cognoscere vbi, & qua ætate quidq; egerit, adolescẽtis annos, & loca, in quibus commoratus est, ordine persequitur. qua in re etsi nonnulla, quorũ consuetudinẽ retinuit, interdũ iterare sit opus, non paucos tamen, ea res, vt opinor, delectabit. Historia tres in libros diuisa est. Primus vitã complectitur quã in seculo vixit, vsq; ad religionis instituta suscepta. Alter vitã religiosam vsq; ad mortẽ: Tertius, quę de ipso, ab eius felici excessu gesta sunt. Videri possit cuipiã alienũ esse à decoro historiæ ad minuta quędã, quod in altero libro de industria facio, explicãda descendere. Verum, quoniã homi-

num

num religionem, & pietatem adiuuare his meis instituí: neq; magnanimi alicuius Imperatoris, aut præstantis in gerenda repub. viri, sed hominis religiosi vitam, & mores dignos imitatione exponẽdos suscepi, quorũ laus, minima alicuius adiũcti mutatione, vel infuscatur, vel augetur; pluriũ exemplo; qui idẽ in narrandis Sanctorũ actis sunt secuti, & verò grauiũ, atq; eruditorũ hominũ arbitratu nõnulla, quę leuicula quidem videbũtur, sed in quibus excellentiã quandã, perfectionemq; sanctitatis eius relucere sensero, ex destinato cõsectabor. Id monere libuit, ne quis temerè factum putaret. Si quid in narrando erratũ erit, mihi attribui velim. si quid rectè, Deo acceptũ ferri, quẽ veneror, vt nobis ad ęmulanda huius B. adolescẽtis prędara facinora, fęlicitatẽ, qua eũ nunc in cælo frui credimus, consequendã, opem ferat. At tu sanctiss. & beatiss. ALOYSI, qui in fortunatis illis cęli sedibus tuorũ laborũ merita capis, atq; in illo diuinitatis speculo, in quo quę illi visũ est rerũ nostrarũ intueris, imperfectũ meum vides, da veniã, quòd pęnè diuinas virtutes tuas humili stilo deterã: ac memor propẽsę illius caritatis, qua me viuẽs cõplectebare, exora mihi à cõmuni domino, vt hic religiosũ in modũ vitam colã, vt tuo præsidio, tutelaq; subnixo, stet aliquando, cùm ita Deo placitũ erit, te cum æterna beatitudine perfrui. Amen.

PRAECLARVM TESTIMONIVM, DE B. ALOYSIO, & hac historia, à quatuor Reuerendis, & Religiosis Patribus, qui eam legerunt, & cum publicis instrumentis contulerunt, Brixiæ datum.

PATER VICARIVS INQVISITIONIS, DOMINICANVS.

EGO F. Siluester Vgolottus, Lector Theologus Ordinis Prædicatorum, & Vicarius Generalis Sancti Officij Inquisitionis, in ciuitate, ac diœcesi Brixienſi, testor, & iureiurando affirmo, legisse me vitam Beati Principis D. ALOYSII GONZAGAE Marchionis Castilionensis, & Religiosi sanctæ Societatis IESV, scriptam ab admodũ Reuerendo Patre VIRGILIO CEPARIO Theologo, & concionatore eiusdem Societatis, quam cũ instrumentis publicis cõtuli, è quibus deprompta est, & cõperi quicquid de virtute & sanctitate huius Beati adolescentis narratur, id omne ex testimonijs iureiurando confirmatis, & instrumentis auctoritate Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali plurium Vrbium confectis, desum-

desumptum esse. Præterea credo equidem verissima esse, non modo quæ hac historia referuntur, sed etiam longè plura. Nam cum hunc Beatum Principem tenera etiam tum ætate cognorim, cumq; eo sim versatus, exploratum mihi est eum à prima pueritia in Sancti loco habitum, & velut qui vita, & moribus Angelus esset ab omnibus cõmendatum fuisse, cuius rei & ipse multa exempla in medium possem adducere. Iam verò in historia non modo nihil est, quod fidei, aut bonis moribus aduersetur, sed etiam prudenter, & spiritu religioso scripta est, & sanctitatis exemplis abundat. Equidem confido eam non modo religiosis hominibus, sed etiam secularibus, principibus, dynastis, quibus omnibus hic Beatus Pater dux, & exemplar fuit, multum vtilitatis spiritualis allaturam. In quorum fidem has litteras mea manu scripsi, & subscripsi. Brixiæ, in nostro Cœnobio S. Dominici.

Ego F. Siluester suprà dictus, quicquid suprà testatus sum, iureiurando affirmo.

PATER LECTOR MONACHORVM BENEDICTINORVM CASTINENSIVM.

EGO D. Paulus Cattaneus Monachus Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, siue S. Iustinæ Patauinæ, Lector Philosophiæ, &

casuum conscientiæ in Monasterio SS. Faustini & Iouitæ Brixiæ, iuratus testor, me perlegisse Vitam Beati Principis ALOYSII GONZAGAE *Marchionis Castilionēsis, ac deinde Religiosi Societatis* IESV, *scriptam ab admodum Reuerēdo Patre* VIRGILIO CEPARIO *Theologo, & concionatore eiusdem Religionis, eamq; contulisse cum omnibus instrumentis, & tabulis authenticis, è quibus hausta est, atq; inuenisse, quæcumq; in ea dicuntur, testibus iuratis, & fide dignis cōprobari. Ac non modo non est in ea quod cum sancta fide, bonisq; moribus pugnet, sed etiā sanctis exemplis refertissima, & dignissima est, quæ ad communem Fidelium vtilitatem edatur. Nam ex mei ipsius animi commotione, & fructu, quem ex ea cepi, facile mihi persuadeo apud quemuis, qui eam legerit, non minus valituram. Quin etiam ipsemet, qui multis annis priusquam religioni se daret, eum in seculo norim, testificari possum, eum communi omnium consensu adolescentem sanctum existimatum, & laudatum esse, atq; eius facta admirabilia complura, velut hominis sanctitate eximij, in hominum ore fuisse. Cum verò Religionis ineundæ causſa discederet, omnis populus eius ditioni subiectus, tanti Principis iactura perculsus, lamentis se dedidit. In quorum fidem has litteras mea manu scripsi, & subscripsi. In Monasterio S. Faustini.*

Ego D. Paulus supradictus, iureiurando hæc omnia confirmo.

P. PRO-

P. PROVINCIALIS CAPPVCCINORVM.

SAnctißima, & omnibus virtutibus ac meritis ornata Vita Beati Principis, D. ALOYSII GONZAGAE Marchionis Caſtilioneſis, & religioſi è ſãcta Sodalitate IESV, quæ inſtà ab admodũ Reuerendo Patre VIRGILIO CEPARIO Doctore Theologo, & concionatore eiuſdẽ Societatis deſcripta eſt, & magna diligentia collecta è iuratorum teſtium teſtimoniis, & auctoritatibus (vt ipſe ſingillatim has cum illa componẽdo comperi, & iureiurando aſſeuero) digna omninò eſt, quæ ad gloriam Dei, qui adeò mirabilem ſe præſtat in ſanctis ſuis, ad exemplum Chriſtianorum principum, ædificationemq; religioſorum, & totius fidelis populi, edatur in lucem. Natus eſt hic dignus omni gloria Princeps, vt ita dicam, ſanctè, vixit, mortuusq; eſt ſanctißimè, talibusq; ac tantis à Deo donis, & beneficijs viuus cumulatus eſt, vt equidem tria quædam de illo eximia prædicari poſſe exiſtimem. Primũ, quod, vt de D. Bonauentura aliquando dixit eius Magiſter Alexander, Adamus nihil in eo peccaſſe videatur. adeò remotus ab omni ſuſpicione peccati, innocentiæ ſuæ ſtatum tenuit. Alterum, quòd moribus, angelo videatur propior fuiſſe quàm homini tanto interuallo ſpiritus in eo carnem, mens ſenſum vincebat. Tertium, quòd ſingularem quẽdam in modum in eum quadret illud Sapientis:

Consummatus in breui expleuit tempora multa. Etenim breui spatio, quo hanc mortalem vitam egit, consecutus est, quod pluribus annis ægrè sibi communiter multi è sanctis pepererunt, eumque perfectionis gradum attigit, quem multi alij frustra adipisci tentarũt. Quod si verè vulgo dicitur, communis vox populi, vox Dei: quandoquidem hic Beatus Princeps omnium opinione censetur, & omnium voce celebratur vt Sanctus, à principibus, ab antistitibus Ecclesiæ, à suis cõfessoribus, magistris, Rectoribus, Parentibus, suæ ditionis populis, sanctissimum eum fuisse necesse est, suoque merito vt in cælo, item etiam in terra in Diuorum numerum adscribi possit. Sic ipse apud diuinam Maiestatem intercessor, & aduocatus meus esse dignetur. Brixiæ ex nostro domicilio ad D D. Petri, & Marcellini.

Ego F. Ioannes Franciscus Brixiensis Prouincialis fratrum Cappuccinorum in prouincia Brixiensi, concionator, & Theologiæ lector, hęc omnia scripsi, & subscripsi mea manu, eaq; iureiurando rata facio.

PATER RECTOR SOCIETATIS IESV.

EGo Ioannes Baptista Peruschus Romanus, Rector Collegij Societatis IESV *Brixiæ, postquam admodũ Reuerendus Pater* VIRGILIVS

GILIVS CEPARIVS *è Societate nostra, aduenit, vti in hoc Brixiensi Collegio Vitã Beati fratris nostri* ALOYSII GONZAGAE *ex eadem Societate, litteris mandet, eandem vitam ab ipso scriptam cum tabulis, & monumentis consignatis, è quibus magno labore & industria eruta est, comparaui, & iuratus profiteor, quicquid in ea dicitur, reperiri in auctoritatibus, & testimonijs iureiurando firmatis. Testis item sum, eundem patrem, vt illa instrumenta nancisceretur, & historiam authenticam conficeret, hæc omnia Galliæ Cisalpinæ oppida perlustrasse. Eoq; his me libentius ascribo, quòd cum Beato* ALOYSIO *tum nec dum seculi opibus expedito, tum Religione nobis iuncto Mediolani, & Romæ familiaritas mihi, & consuetudo fuit, multaq; signa sanctitatis eius, quæ idẽ pater in hoc libro commemorat, ipse cognoui. Ac liquet mihi, omnium qui illum norant, cumq; eo agebant, sententia Sanctum existimatum esse. Post mortem verò fama sanctitatis eius indies magis increbuit, atque in multis Galliæ Cisalpinæ oppidis, in qua complures iam annos dego, vsq; eo creuit, vt nihil supra fieri posse videatur. In horum fidem hoc meum chirographum dedi.*

Ego Ioannes Baptista Peruschus, qui supra, omnia memorata iureiurando firmo.

CLAVDIVS AQVAVIVA PRAEPOSITVS GENERALIS SOCIETATIS IESV.

CONcedimus facultatem, vt liber de vita B. ALOYSII GONZAGAE, è Societate nostra, à P. VIRGILIO CEPARIO Theologo eiusdem Societatis compositus, & à nobis ipsis, multisq; alijs Theologis nostris lectus, & approbatus, typis mandetur si ita videbitur Reuerẽdissimo Patri Magistro Sacri Palatij: Speramus enim non mediocrem fructum spiritualem hominibus cùm religiosis tum secularibus, qui eum legerint, allaturum. Idcircò verò libentius id concedimus, quòd certa notitia, & propria scientia nobis liquet, hunc sanctum, & benedictum adolescentem, omni virtutũ genere absolutissimum, vtilissimiq; exempli fuisse. neq; enim solum in sæculo ita semper est versatus, vt omnibus virtutum documento esset, sed etiam postquam à nobis in societatẽ allectus est, semper fuit vera perfectæ sanctitatis IDEA, talisq; communiter ab omnibus existimatus est, qui paucis illis annis, quibus inter nos vixit, eum norunt, eoq; sunt vsi. quo tempore cõperimus, plurimũ Deum illa anima delectari, eamq; multis donis naturæ in excellentioribus locupletauisse, è quibus foras sanctissima opera, & angelici mores dimanabant. Ita vixit, ita cõtinenter perseuerauit, donec vita defunctus demigrauit in cœlum; quò illam ani-

mam

mam sanctam ad æternã gloriam fruendã, Deiq; pacem nobis exorandam confestim euolasse, firmis nixi fundamentis credimus. Quorum omniũ fidem libenter facimus, quo veritati testimonium demus, ad gloriam Domini nostri, à quo omnis sanctitas tribuitur, cui laus, & honor sit sempiternus. Romæ Pridie Idus Iulias M. D C. V.

Claudius Aquauiua.

PRIVILEGIVM.

EGO HENRICVS SCHERENVS *Societatis* IESV *in prouincia Rhenana Prouincialis, iuxta priulegium à* S. CAESAREA MAIESTATE *eidem Societati concessum, quo cautum est, ne quisquam typographus libros ab eiusdẽ Societatis hominibus compositos, absq; illorum permissu, excudere, vel distrahere audeat;* BERNHARDO GVALTERI *ciui, & typographo Colonienſi, potestatem facio imprimendi hos* DE VITA BEATI ALOYSII GONZAGAE LIBROS TRES, *auctore* VIRGILIO CEPARIO *eiusdem Societatis Sacerdote, quos pridem ab Admodum Reuerendo* P. N. CLAVDIO AQVAVIVA *Præposito Generali approbatos, & vulgari Italico sermone editos, iam in nostra Prouincia Latinitate donandos curauimus. Datum Moguntiæ X. Kalend. Iul. A. DN. M. DC. VIII.*

Henricus Scherenus.

DE

DE VITA BEATI

ALOYSII GONZAGAE,

LIBER I.

CAPVT PRIMVM.

DE EIVS NATALIBVS, ET educatione vsq; ad annum VII.

BEATVS ALOYSIVS GONZAGA, cuius res gestas, moresq; mandare litteris instituimus, Ferdinandi Principis Imperij, atque Castilionis Stiuerorum in Gallia Cisalpina Marchionis, & Marthæ Tanæ Santeniæ, à Cherio in Taurinis, illustrissimorum, excellentissimorumq; hominum filius natu maximus fuit. Ferdinandus Marchio ALOYSII pater, eadem stirpe atque Guilielmus Mantuanorum Dux editus, illum tertio contingebat gradu. atque in ea, quam dixi, ora hereditate à maioribus sibi tradita, quæ inter Veronam, Mantuam, atq; Brixiam haud procul à Benaco lacu, sita est, rerum potiebatur. Eius verò cõiunx Martha præ-

tha præcipuis apud Taurinos familijs orta, Patrem Balthasarē Tanum è dynastis Santenijs, matrem verò Annam è veteri dynastarum Roboreorū sanguine, Hieronymi Roborei Cardinalis & Augustæ Taurinorum Archiepiscopi propinquam habuit. Inter hos B. ALOYSII parentes nuptiæ ad hunc ferè modum in Hispania coniunctæ sunt. Versabatur in Philippi II. Regis Catholici aula Ferdinandus Marchio, atque ibidem Martha plurimum inter principes feminas apud Isabellam Valesiam Reginā, Henrici II. Francorum Regis filiam, Philippi coniugem, gratia atq; auctoritate poterat. Ea occasione, compertis huius egregijs animi ornamentis, singularibusq; dotibus, Marchionem cupido cœpit, eius vxoris domum ducendæ. Quod cum diu deliberatum, & constitutum haberet, operam dedit vti Reges etiam huius consilij certiores fierent. Ijs ergo auspicibus, dicta iusta dote, additisq; gemmis, atq; alijs donis dotalibus, quæ suæ in Martham voluntatis testificandæ, regina contulerat, Marchio sibi illam despondit. Cæterùm dum hæc sponsalia fiunt, vniuersumque hoc nuptiarum negotium contrahitur, nonnulla euenere tanta cum sanctitate coniuncta, vt satis liqueret, qualem olim fructum essent allaturæ. Nam Martha simul è Regina cognouit de

de hac necessitudine consilia agitari, quò Deus illam bene & feliciter euenire vellet, magnum sacrificiorum numerum Sanctissimæ Trinitati, Spiritui Sancto, Christo, interposita recitatione historiæ cædis eius, item Virginis Matris, Angelorum, aliorumq; cœlitum cõmendationibus exposcendis, factitari iussit. Deinde cum ad vtriusq; propinquos in Italiam scriptum esset, vt eius cõiugij auctores esse vellent, eo potissimum tempore ad litteras responsum perlatum est, quo omnes procurandis Iubilei, quod nuper Roma vulgatum erat, cærimonijs erant intenti. Itaq; natali D. Ioannis Baptistæ, matrimonium, inter vtrumq; Sanctę Eucharistię mysterijs, Iubileiq; religionibus expiatũ, conuenit. quo die Martha, quod ipsa mihi postea memorauit, omni studio in pietatis officia in posterum decreuit incutere. Præterea Regina cum per eos dies recenti partu esset grauida, neq; tali tempore Marthæ, quam ab vsque Gallia solatij caussa, comitem adsciuirat, consuetudine carere posset, eius in se amore confisa, prius in manum viri publicè conuenire vetuit, quàm ipsa peperisset. Factum est vt imperarat. Dicto dein ab regina die, in quẽ commodùm alterius cuiusdam Iubilei, seu Plenariæ indulgentiæ celebritas inciderat, iteratis pęnitentiæ & Eucharistiæ sacris, sanctè

sanctè, vt Christianos decet, eo tempore sacris rite peractis, connubio iuncti sunt, cum Deo maximè pacato secundoque vterentur. Iam verò neque illud minus memoria dignum est, quod in nuptiarum ritibus, festoque apparatu, decreta consilij Tridentini, quæ forte per illos dies per Hispaniam promulgata fuerant, hoc primum matrimonio in mores induci cœpta sunt. Secundum nuptias potestate ab regibus facta, in Italiam atque in suæ ditionis oras, vnà cum coniuge, redeundi, priusquam regia excederet Marchio honorarius regis cubicularius renunciatus, simulque luculentis è Campania atque Insubribus, dum ipse, vnusque filiorum viueret, vectigalibus est auctus. Neque ita multò post idem Rex militaribus eum in Italia copijs præfecit, quem honoris gradum clarissimus quisque Italiæ principum, ac ducum dignationi sibi ducit. Posteaquam Castilionem attigerunt, Marchionis vxor, vt se aulicis negotijs, atque oneribus exolutam, otium & facultatem pietatis impensius colendæ nactam esse videt, pro veteri suo in eam studio, proq; eo ac nuper in Hispania statuerat, quantum nunquã antea curam eius intendit. Inprimis verò cupiditas eam incessit nanciscendi filij, qui in aliquo religiosorum hominum cœtu quando-

quandoque sese Deo addiceret. quod studium nõ modo postea non remisit vnquã, sed etiam vt eius compos fieret, nullum adorandi Dei finem fecit. Certè vota minimè irrita cecidisse, res ipsa docere visa est, quando hoc filio primùm parens est facta, qui deinde ad Societatem IESV aggregatus, vitam in ea per singularem sanctitatem degit, ac finiuit. Neque verò mirum cuiquã videri debet tanta sanctitate filium, tamque sancto consilio expetitum, maternis à Deo precibus datum esse. Crebrò siquidem in Diuorum rebus gestis, Deum huiusmodi desiderijs obsecutum esse, legimus. vt cũ Annæ Samuelis prophetę matri, sterilis omnis antè experti, filium quem ipsius numini manciparet poscenti, annuit. Idem de D. Nicolao Tolẽtinate, qui & ipse sterili matri spplicanti condonatus est, de D. Francisco Paulensi, qui vtrumque parentem antea infœcundum voti reum fecit, deque alijs accepimus. Equidem sic sentio. eum qui huius beneficij postulandi illustrissimæ illi feminę mẽtem iniecit, eundem pro sua benignitate exorari, primamque eius prolem sibi vindicare voluisse. Ad hoc cordi fuisse Deo videtur B. ALOYSIVM ante suum facere, quàm esset ex vtero matris effusus. neque enim sine diuino natu & consilio factũ est, vt cum necdum totus in hanc lucem exisset,

issset, baptismo lustraretur, atque etiam cœlorũ Regina Virgo beatissima, cuius deinde à prima ætate nomini tantopere deuotus fuit, prȩcipua quadam in eum gratia nascenti adesset. Solet enim ipsa Marchionis coniunx ita commemorare. Appropinquãte partu tantis se repente doloribus oppressam esse, vt nulla spe fœtus enitendi in extremum adducta videretur vitę discrimen. Vbi Marchionem accitis cõpluribus Medicis negotium dedisse, vt si prolem vitalem esse posse diffiderent, at certè collato baptismo æternam ei salutem dare, matrisque vitam tueri studerent. Illos artibus omnibus, remedijsque frustra tentatis, quæ soluendi partus esse visa sunt, & matris, & filij salutem in desperatis ac depositis habuisse. Id cum esset matri compertum, in tanta desperatione opis humanæ ad Deum confugere, atque ad Virginem eius parentem concipit. ergo accersito in cubiculum marito, potestatem sibi in extremo sitę fieri postulat voti Virgini Matri nuncupandi. Cum ille annuisset, vouet ipsa, si hoc discrimine defuncta sit, sacram se Lauretanã ędem vnà cum prole, modo & illi vita contingat, adituram. Voto suscepto, periculum omne depellitur, atque breui hunc filium partu dat. Sed cum inter medicos constaret eum mortem vitare non posse, instaretque

Marchio, vt animi saltem incolumitati cõfulerent, obstetrix simul eo loci partum esse videt, vt baptismi patiens esset, prius eum tingere occupat, quam totus ederetur. Ita vtriusque vita seruata est, atque in filio Dei gratia, meliorque ille & diuinus ortus, huius mortalis absolutionem præuertit, non sine singulari Dei fauore, qui eum ab ipsis matris visceribus quasi mancipio & nexu sibi proprium esse voluit. Qua in re geminus Mechtildi sanctæ virgini fuit, cui, vt in eius vita scriptum est, indicauit Deus, sibi placuisse, vt, quò eius animum, veluti templum, quamprimum sibi sacraret, atque à primo ortu sua gratia antecaperet, in similis metu periculi, baptismus eius acceleraretur. Natus est Beatus Aloysius in arce Castilionensi, quæ caput est regionis in paterna ditione positæ, in diœcesi Brixiensi (Pio V. Pont Max. anno à Christo nato M. D. LXVIII. 7. Idus Martias feria tertia, tribus horæ partibus, à tertia ac vigesima elapsis. Sublatum è vestigio mater crucis signo munit, faustisque precationibus prosequitur. dehinc horã ipsam tacitus, immotusq; iacuit, nemo vt discerneret, viuusne esset, an mortuus. postea verò cum vnicum vagitum edidisset, deinceps conquieuit, & lamentis, quibus plerique omnes recens nati infantes se dedunt,

omni-

omninò temperauit. Id scilicet animi mansuetudinem, suauitatemque morum, quam ostendit in omni vita, portendisse crediderim. Eodē anno 12. Kalend Maias, feria itē tertia in æde D D. Nazarij & Celsi, à Ioanne Baptista Pastorio Archipresbytero Castilionensi, quanta maxima potuit pompa, sacris ritibus qui ad baptismum adhiberi solent initiatus, atq; ob aui paterni memoriam, Aloysius seu, quod idem est, Ludouicus appellatus est. Spopondit pro eo Guilielmus Mantuæ Dux, misso Prospero Gonzaga V. illustrissimo suo, Marchionisq; cognato, qui suā vicē salutari fonti infantē admoueret. Est id relatum in tabulas curionis eius templi, in quibus animaduerti, cum cęterorum eius ætatis baptismi, eadē formula Italicis litteris percēseantur, ad huius vnius nomen, siue id eius dignitati natalīū tributum est, seu diuino quodā instinctu euenit, nōnullas Latinas voces adiūctas esse, cuiusmodi nihil ne fratribus quidē eius adscribitur, atq; in ipsum quidē bellè quadrare euētus ostēdit. est autem ita scriptum. *Sit felix, carusq; Deo ter optimo, terq; maximo, & hominibus in æternū viuat.* Iam verò quanta cura & studio à primis annis sit eductus, facile ex eo fuerit assequi, quòd ipse stirpis maximus non in spem modò paternæ hereditatis, sed duorum etiam patruorum, Alphōsi,

qui castello Godefredi, & Horatij qui Sulphurino imperitabat, nutriebatur. Nam cùm opes illi clientelari ab Cæsare iure obtinerent, & eorum alter omni, alter virili stirpe careret, necesse erat eas ad ALOYSIVM communem nepotem deuolui. Studio fuit matri, vt erat eximiè pia, vt filius à pauxillo puero Deum, Diuosque venerari assuesceret. Igitur vix dum fari poterat, cũ & ipsamet illum manus in speciem crucis ducere, sanctissimum IESV, & Mariæ nomen pronũtiare, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, aliasq; preces de memoria dicere condoce faceret: & nutricem, cæterosq; qui iuxta ipsum seruitij, aut consuetudinis causa erant, idem facere iuberet. Quibus rebus tãtam aduersus Deum reuerentiam, metumq; induebat, vt ex hac quasi luce surgentis auroræ, quantus esset futurus meridiei splẽdor augurari liceret. Id adeò testaræ sunt mulieres ancillæ, quibus, cùm per id tẽpus matri ministrarent, hunc etiam filium vestire, & exuere negotium erat; singularem se in eo etiam tum infante religionem, Deique timorem comperisse. Duo inprimis in moribus illi tum fuisse ad memoriam præclara referunt. alterum quòd pauperum egestate moueri se misericordia, & sicubi eos vidisset benignè ijs faciendi cupiditatem ostendebat.

debat. alterum quòd vbi primum solus domum perreptare potuit, non rarò abdebat se in latebras, ac diu quæsitus tandem in solo aliquo loco, precibus intentus reperiebatur. quibus ex rebus futuram eius vitæ sanctimoniam iam tum percipiebant animis. neq; desunt qui iurati affirment, solo se eius amplexu, proinde intimo pietatis sensu affectos esse, quasi cœlestem aliquem angelum brachijs sustinerent. Delectabat matrem vehementer hic pueri gliscens in indies in Deum, resq; cælestes amor ac studium. at pater vir in armis deditus, qui sub Rege Catholico multa belli negotia sustinuerat, suis potius illum artibus imbui cupiebat. Quocirca quartũ necdum annum egresso, sclopulos, bombardulas, aliaque minuta arma ad illius ætatis vsum apposita, propria cõparat. Ad hęc cùm, eiusdem regis auspicijs, tria peditum Italorum millia sub signis ad Iunctum ducturus in agro Cremonensi apud Casale maius, quod oppidũ Mediolanensis est ditionis, delectum haberet, puerum quatuor aut quinque duntaxat annos natum, è mulierum manibus, & potestate matris ereptum, secum eò perducit. Ibi, quibus diebus copiæ censebantur, leui tectum loricula, ac pusillam hastulam præferentem humeris, militari more anteire ordines iubet. ac recreabatur mirificè cum

hoc exercitij genus puero volenti esse perspiceret. Aliquot menses Casale moratus, vt est illa ætas omnium, quæ geri videt æmula, dum ludos, sermonesq; cum militibus miscet assiduò, sensim militares sumpsit animos, neque leuibus signis ostendere visus est, ad eam se gloriam à studio ferri, ad quam patris vocibus exemploq; vocaretur. Itaq; non semel vsu venit, vt cùm alia tela, tum fistulas æneas præcipuè versans, in magnum veniret discrimen salutis, nisi Deus qui ad sanctius vitę genus reseruabat, illud, prope supra naturæ modum, ab eius capite depulisset. Certè fuit cum minutiore fistula explodenda vultum sibi totum pulueris ardore fœdaret. Iterum cùm per ęstatem, secundum meridiem quieti indulgeret Marchio, atq; ipse (quod in tantilla ætate obstupescas) nullius ope adiutus, collectũ è meridiantium militum thecis puluerem, in tormentum curule minus, quod erat pro arcis mœnibus indidisset, ignemque subiecisset, prope abfuit, quin auersis retrocedẽtis carri impetu rotis obtereretur. Excitus sonitu Marchio, veritus ne qua esset inter milites coorta seditio, misit qui exploraret, quæ tandem esset hæc insolentia. Re comperta, ad pœnam scilicet filium vocauisset, nisi milites, quibus non mediocrem voluptatem afferebant, tam ingentes pue-

ri

ri spiritus, eam essent deprecati. Hæc atque alia de hoc genere, cùm iam inter Religiosos agitaret, egregiæ erga se Dei voluntatis, cuius ope tanta pericula vitasset, prædicandæ, commemorare posteà erat solitus. Necdum tamen erat illi penitus exempta Religio, de modico illo puluere militibus subiecto, nisi quòd eam illa cogitatione minuebat, haud grauatè daturos fuisse, si popos-cisset. Profecturus cum copijs ad Tunetum Marchio, Aloysium Castilionem remittit, vbi eundem quem Casale erat ingressus viuendi morem tenuit. Atque vt est plerumque militum vulgus ad verborum licentiã, turpitudinemq; proiectum, ipse quoque ex eorum consortio nonnullas eiusmodi voces hauserat, quas (vt ipse posteà P. Hieronymo Plato, dum percunctanti vniuersam quam in seculo egisset vitam, iã Religioni consecratus retexeret, narrauit) ignarus quænã esset earũ notio, interdũ iactare cœpit. Id cum aliquando Petrus Franciscus Turcius audisset, quẽ ei⁹ pueritiæ moderatorẽ fuisse diximus, tãta vi in eũ inuect⁹ est, vt ipse mihi moderator cõfirmarit, nullum vnquã ei deinde, nisi honestũ decẽsq; verbũ effluxisse. Quinimmo si quẽ posteà licẽtius loquẽtẽ audiret, euestigio oculis pudore suffusis, humiq; defixis aut aliorsũ cõuersis vel animum auertisse dissimulabat,

cta sibi auditu molesta fuisse significabat. Ex quo licet intelligi nunquam eum hoc genere sermonis vsurum fuisse, si quid sibi vellet ante didicisset. Cæterum in omni ALOYSII ætate nihil ab eo peccatum esse comperio, in quo plus sit culpę, quam in his verbis ab admodum puero, reique significatæ ignaro profusis. qui simulac flagitiosa, atque à suo dignitatis gradu, genereque aliena esse didicit, tantus eum pudor intrauit, vt postea sit fassus, ne sacerdoti quidem suæ conscientiæ quæsitori, vt ea aperiret animum inducere potuisse. ea erat puerilis animi verecundia. Neque verò vnquam, dum vixit, huius eum grauissimi, vt ipse fĕtiebat, criminis pœnitentia deseruit. Atque vt nihil deterius contraxerat, cuius eum conscius angeret animus, ita postquam ad religionem accessit, quò sui vincendi ac vilipendendi causa, à teneris sontem se fuisse doceret, sæpe hęc familiaribus quibusdam suis memorabat. Verisimile est consulto Deum hunc ei nævum adhęrescere passum esse, vt dum in se culpam esse credit, quã propter ætatis inscitiam reique ignorationem propius fidĕ est nullam fuisse. in tanta munerum cælestium, virtutumque copia, quibus postea mens eius est locupletata diuinitus, aliquã demissionis sepetem haberet: atque vt, quod de D. Benedicto

cto scripsit D. Gregorius, *quem in ingressu mundi posuerat, retraheret pedem.* Vbi verò septimum annum attigit (quam ætatem inter Aristotelem, sanctosque Doctores, ad ratiocinandum, atque adeò ad virtutem & vitium maturam esse conuenit) tanto se ardore ad Deum colendum conuertit, seque ita penitus illi consecrauit, vt illud postea suæ conuersionis tempus appellare sit solitus. Suis itaque melioris vitæ parentibus, quibus arcana sua credebat inter præcipua Dei in se beneficia, hoc se ponere narrabat, quod septuennis à seculi amore ad Deũ traductus esset. Porrò quanto cęlestiũ donorũ præsidio, iam inde, postquam illi ratio cõpetere cœpit, Deus eius conatus vel anteuenerit, vel secundarit, ex eo manifestum est, quod quatuor sacerdotes, qui diuersis locis, atque temporibus confessionum ipsius, etiam earum, quæ vniuersam ætatem complectebantur, ante & post initã societatem, fuerunt arbitri, atque inter hos Robertus Bellarminus Cardinalis illustrissimus, qui sub eius obitum, totum vitæ tempus recensenti operam dedit; omnes quãuis alter alterius rectificationis ignari, consensu scriptum fecerunt, nunquam eum vel lethiferam noxiã concepisse, vel haustam in baptismo Dei gratiam effudisse. Quæ res tanto plus admirabilitatis habet,

quod maximè lubricam vitæ partem non in monasterijs, sacrisque Religiosorum septis transmisit, in quibus siue deficientibus peccandi illecebris, seu suppetente cum ad sanctam consuetudinem, tum ad animorum subsidia, tanta Deo mancipatorum hominum copia, haud paulò facilius est, quam in vulgari licentia, Dei gratiam tueri. at iste iam inde ab incunabulis in principum aulis versari cœpit. nam supra quam quod in paterna natus eductusque erat, complures dein annos apud Magnum Hetruriæ Ducem, Mantuæ item Ducem, Hispaniarum Regem consumpsit necessaria Principum, ac dynastarum consuetudine, & promiscuo hominum cuiuscunque ordinis, vti res ferebat, vsu semper implicitus. & tamen inter paternæ domus delitias, vitæque aulicæ irritamenta, mentis integritatem, quam in baptismo, velut candidam vestem induerat, ab omni labe puram intactamque seruauit. Quapropter meritò Bellarminus Cardinalis, cùm in sermone mecum, alijsque compluribus de egregijs ALOYSII etiamtum viuentis virtutibus, firmis argumentis aliquando docuisset, nunquam deesse in hac Ecclesia quamuis ancipiti conflictu distra-

districta, quosdam homines eximia sanctitate vitæ, qui etiam, dum viuunt, in stabili apud Deum gratiæ gradu sint positi, disertim hæc subiunxit. *In horum numero, qui tàm arcta atque indissolubili necessitudine Deo sunt adiuncti, equidem, quem minimè fugit quid in eius mente agatur,* ALOYSIVM *nostrum Gonzagam collocandum censeo.* Aliud præterea quiddam idem Cardinalis in præclaro illo testimonio legitimè consignato firmatoque adiecit, quod rationum sanctioris interiorisque vitæ non penitus rudibus, testisque auctoritatem reputantibus, longè etiam maiorem admirationem mouebit. Confirmat enim iam inde à septimo ætatis anno Beatum ALOYSIVM vitam perfectam, omnibus sanctitatis numeris absolutam egisse. cuius prærogatiuæ dignitatem prudentibus æstimandam relinquo. Ac videtur Dei voluntas ita tulisse, vt ipse sininistri genij, eius adhuc pueri morum sanctitatem, destinatamque iam in cælo gloriam prędicarent. Cum enim quidam è Franciscanorum ordine, quos Obseruantes appellant, clara, quacumque iter haberet sanctimoniæ fama Castilionem profectus, in cœnobio suæ familiæ, cui à S. Maria nomen, vno ab oppido milia-

miliario conquieſceret, magni ſunt ad eum videndum, poſcendaſque eius preces facti concurſus. Et, quoniam increbuerat quædam illum ſupra vim mortalem facere, multi à dæmonibus infeſſi, vexatique, vt eius execrationibus leuarentur adducti. Ibi, cum ſacerdos ille frequenti populo, hominibuſque etiam illuſtribus, & in his ALOYSIO puero, alteroque eius germano minore ſpectantibus, diras in dæmonem de more maximè iaceret, atri illi genij elata voce, intentaque in ALOYSIVM manu: *Videtiſne illum? exclamant. hic demum eſt, quẽ cælum, & multa inibi manet gloria.* Mandata ea vox memoriæ, totoque Caſtilione vulgata. neque deſunt hodie, qui ſe coram eã audiſſe teſtificantur. Tametſi verò dæmonum, qui mendaciorum ſunt parentes, verba nullam fidem merentur, crediderim tamen, quo magis eos ſuę væſanię puderet, vt ſæpe alias, verũ edicere vi diuina fuiſſe cõpulſos. Etenim tam excellens iam tum erat de hoc ſancto adoleſcente hominum opinio, vt in eius vita, ac moribus ſpeciem ſibi delapſi de cœlis angeli videre viderentur. Domi quotidie nixus genibus, preces, quæ Exercitium quotidianum inſcribuntur, ſeptem de pœnitentia pſalmos, officium B. Virginis, vel ſeorſim, vel vnà cum aliquo comite recitabat, aliaq; præſtabat officia pieta-

pietatis. Adeò libebat humi inter precandum procumbere, vt puluinum, aut quid simile genibus subijci sustinuerit, idq; deinde, vt postea narrabo, in omni vita solenne tenuit. Per idem tempus febri quartana octodecim ipsos menses vehementer est exercitus, etsi, cùm principio esset ardentior, postmodum minus eum in lecto attinuit. Interea sedatè ferebat eius dolorē, neq; intermittebat vnquam, quin officium B. Virginis, psalmos qui Graduales, quique Pœnitentiales dicuntur, & alios statas preces pronuntiaret quotidie. Vbi tamen interdum solito erat imbecillior, accersebat è feminis matris administris, quæ subleuaret legentem; vt autem omninò cessaret, adduci nunquam potuit. Hęc sunt quę non amplius septem annos natus Beatus ALOYSIVS fundamenta iecit virtutis Christianæ, vt minimè mirum videri debeat, si ad tã excelsum, quàm posthac explicabimus, fastigium illum adduxerit.

CAPVT SECVNDVM.

FLORENTIAM A PATRE DVctus, Virginitatem Deo vouet, magnoque in sanctiore vita progressus facit.

FErdinandus Marchio ab expeditione Tunetana, plus duos annos in Hispanica

nica regia moratus, cùm in suæ ditionis terras reuertisset, vt ALOYSIVM suæ stirpis maximum, pristino illo militari ardore deposito, pietatis, & modestiæ plenum reperit, cùm præclaram illam indolem, & maiorem quàm pro ætate prudentiam mirabatur, tum gaudebat plurimum, idoneum se parentibus sibi populis regendis hæredem esse nactum. at ille octo iam natus annos, alia longè consilia cum animo suo agitabat, cogitationesq; iam de sublimiori quodam virtutis gradu susceperat. Neque eas aliquando matri dubitauit exponere, quam cùm sæpius dicentem audisset, quando pluribus iam liberis esset aucta, iucundum sibi fore, ex ijs vnum aliquẽ religioni addictum videre, ipse ei secreto: Affirmasti, inquit, mater, gratum tibi futurũ, si quem filiũ habeas, qui in religiosa familia versetur. equidẽ hanc tibi gratiam Deũ gratificaturum esse confido. Alio verò die, cùm eadem iteraſſet, adiunxit, sperare etiã se illum fore. Mater, quamuis, quòd primogenitus esset, abhorrenti similis sermonem abrupit, filiumq; inde se, cum his dictis auferre iussit, tamen ea mandauit animo, &, quòd eum in colenda pietate multum videret esse, credere cœpit, ita, vti diceret, fore. tametsi, vt postmodum, susceptа Religione, fassus est, nihildum id tempo-

temporis in vllam partem certi cõstitutum habebat, sed suam duntaxat piè viuendi cõsuetudinem sequebatur. Dum hæc geruntur, crebris rumoribus affertur pestilentiã tota Italia serpere. eius metu Marchioni visum est faciundum, vt se cum vniuersa familia in montem Ferratum transferret. Ibi dum versatur, grauibus articularis morbi doloribus conflictari cœpit. quapropter Medicorum voluntate ad balneas Lucenses proficisci statuit, vnaque secum Rudolphum alterũ natu filium, cuiusdam qua tenebatur valetudinis curandæ, atque etiam ALOYSIVM perducere. Scilicet, vt in reditu Florentiam diuerteret, atque ibi in aula Francisci Medicei Magni ducis Hetruriæ, siue necessitudinis, quam in regia Catholici regis cum eo constitutam habebat, retinendæ causa, siue quò facilius Hetruscè loqui condiscerent, vtrumq; relinquere. Ergò æstate anni M. D. LXXVII. ineunte, cũ à coniunge vehemẽter querente, id ætatis liberos tanto interuallo ab se diuelli, discessisset, rectà ad balneas contendit. Inde postquam ijs aquis satis erat vsus, Florentiam flexit, à qua cùm prope ab esset, nuntiareturque portas omnes metu pestilentiæ diligentissimis custodijs septas teneri, in Fesulanum Iacobi Turcij familiaris sui se recepit. Interea Magno Duci num-

ci nuntiari iubet eius se salutandi causa adueniſſe. Accepto reſponſo, vrbem ingreditur, atq; à duce accipitur, cum eximij ſignificatione amoris. Hic dux, cum ei Marchio filios ſuos obtuliſſet, tãtopere eo munere delectatus eſt, vt non alibi eos, quàm in ſuo palatio diuerſari vellet. Verum quia ſuos ille liberos non auſicis modò moribus, ſed liberalibus etiam ſtudijs imbui cupiebat, non longè poſt, bona Ducis venia, inde abductis domum in vico, cui ab Angelis nomen eſt, attribuit. Deinde ante digreſſum, Moderatorem eis, vniuerſæque familiæ addidit Petrum Franciſcum Turcium, qui nunc Ioannis Medicei viri principis, domum adminiſtrat, virum, dum ei in Italia, atque Hiſpania famulatus eſt, fidei, & prudentiæ multos iam annos expertæ. à cubiculis eſſe voluit Clementem Ghiſonium nunc Marchionis, qui hodie Caſtilioni imperat, prætorio præfectum. Acceſſit, præter cęteram familiam ipſorum ſplendore dignam, Iulius Brixianus Cremonenſis ſacerdos ſingulari probitate, qui eos cùm Latinis literis, tum honeſtis moribus informaret. Annum iam ALOŸSIVS omninò nonum expleuerat, quando à parente Florentiæ relictus eſt, vbi dum Latino, Hetruſcoque ſermone eruditur, duo anni fluxerunt. Feſtis diebus aulam celebrabat,

brabat, atque vt Moderatori pueritiæ ſuæ morem gereret, ludo quoque nonnunquã vacabat. Cæteroquin adeò luſionibus non ducebatur, vt Leonora Medicea Mantuæ dux referat, Aloyſium ab ſe ſororeque ſua Maria, quæ hodie Gallorum regina eſt, tum prope etiam infantibus, ad hortos, laxandi inter ſe animi, inuitatum, negare ſolitum ſe ludis oblectari. malle arulis erigendis, conſimilique aliqua pietatis exercitatione occupari. Non diu Florentiæ erat verſatus, cùm præclaros effecit in rerum cœleſtium vſu proceſſus, ſic vt deinde Florentiam ſuæ pietatis parentem vocare ſit ſolitus. Atque inprimis tanta animum eius erga beatiſſimam Virginem Matrem Dominam noſtram obſeruantia percepit, vt quoties de ea in ſermonem incideret, vitæque eius ſanctiſſima myſteria volueret animo, colliqueſcere cœleſti gaudio videretur. Fecit eò plurimum tum communis Florentini populi erga eiuſdem Diuæ effigiem, quæ in ea vrbe, Annuntiatæ titulo, colitur eximia veneratio: tum lectio libelli, quem de myſterijs Roſarij Gaſpar Loartes ſacerdos è Societate Ieſu conſcripſit. Inter eum legendum, cùm ſe deſiderio ſentiret accendi gratum aliquid, acceptumque cœlorum Reginæ faciendi, venit in mentem, nihil ei iucundius,

accommodatiusque præstari posse, quam si eius castimoniæ, quantum mortali fas est, imitandæ studio, suam illi virginitatem voto obligaret, sacraretque. Igitur cum ante eam, quam dixi, imaginem aliquando precaretur, quod ad eiusdem Diuæ honorem verteret, Deo vouit, integram se, inuiolatamque virginitatem suam perpetuò seruaturum. Quod votum adeò semper sanctè, exacteque persoluit, vt vel ex eo liqueat, quàm Deus illud ratum habuerit, quamque præcipuo amore Mater Virgo in suam ipsum fidem, clientelamque receperit. Siquidem qui ei à pœnitentiæ sacris fuerunt, ac nominatim Bellarminus Cardinalis in eo testimonio, quod iureiurando firmauit, & plenius Hieronymus Platus in schedis illis latinè scriptis, affleuerant Beati Aloysij & corpus omni sensu, motuque libidinis, & mentem omni cogitationum, imaginumque obscœnitate, quæ vel tantillum cum hoc eius voto, propositoque pugnaret, dum vixit, caruisse. Quam rem humana omni vi industriaque maiorem satis apparet, tanquam proprium quoddam donum, à Deo carissimæ matri suæ postulanti datam esse. Quod, quàm sit eximium, intelliget, qui reputabit Diuum Paulum (siue illi de se, seu de alio sermo est) ter Dominum rogasse, vt stimu-

stimulum ab se carnis auerteret: D. Hieronymum in illa solitudine, eidem retundendo, crebris saxorum ictibus nudum pectus conuerberasse: D. Benedictum reiectis vestibus totum se in vepres induisse: D. Franciscum item nudum in hybernis se niuibus volutasse: D. Bernardum collo tenus glaciali immersum stagno importunũ ardorem restinxisse: paucos quosdam è Diuis, quos Deo singulari munere cohonestare visum est, vacuitatem ab hac tyrannide esse consecutos. Et tamen si qui extiterint, diuturnis eò precibus, ac lachrymis aspirarunt. Talẽ D. Greg. Magnus, in dialogis, perhibet fuisse Equitium sanctũ abbatem, qui, cũ adolescẽs eiusmodi sibi faces admoueri sentiret, non prius Deum longis, crebrisq; precibus obsecrare destitit, quã ille eũ, misso Angelo, perinde vt recẽs natum infantẽ, omni huius generis illecebra, atq; inflãmatione liberasset. Abbatem quoque Serenum prodidit Cassian. cùm frequẽtib» ieiunijs, precibus, fletibus à Deo munditiã mentis impetrasset, alterum tantum sumpsisse negotij, vt suam corpori quoq; conciliaret, ac tãdem opera itẽ Angeli factũ esse, vt post id locorũ, ne quidem secundũ quietẽ, nedũ vigilans, vel leuissimo impetu cõcitaretur. Deniq; nostræ memoriæ ppior D. Thõ. q. Angelici Doctoris nomẽ inuenit

Sancti grauem carnis pugnam sensere.

cùm

cùm ab se ardenti titione lasciuam puellam abegisset, eumque deinde Angelus quasi quodam cingulo vinxisset, & ipse huius verè Angelici beneficij compos est factus. Neque verò Beato Aloysio, quem, qui eo familiari sunt vsi, multi sanguinis ac spiritus, atque ad res gerendas acrem, & intentum fuisse consentiunt, natiuum aliquod frigus, stuporue sensuum tàm sedata, atque obedientia membra, tãque pura pectoris arcana præstabat. Fateamur ergo diuinum, atq; inusitatum munus fuisse, ab eximio in ipsum Dei parẽtis Virginis fauore profectum, quam proinde matris loco, tenero quodam amore, & pietate in omni vita complexus est, magnamq; in ea suarum rerum omniũ spem collocauit. Non tamen ipse, ad hoc tàm præstãs beneficiũ tuendũ, singulari sua in sensibus seuerè moderandis vigilantia, parũ momenti attulit. Nam etsi nihil illum huius generis valdẽ solicitum habebat, amore tamen virginalis pudicitię, ac sanctitatis, iam inde ab ea die, in speculis esse, semetipse, suosq; sensus circumspicere, & exquisita quadam cura obseruare perpetuò cœpit. In primis verò oculos ita semper ab omnibus flagitij illecebris refræna-re, eademq; potissimum de caussa, ijs humi defixis ingredi per publicum. Mulierum autem familiaritatem, atque congressum,

supra

supra quã credibile est, vbi vbi versat⁹ est, in vitæ perpetuitate tãtopere refugit, vt natiuã ei quandã cum illis discordiã esse diceres. adeò ne conspectum quidẽ illarũ ferre posse videbatur. Castilione à nobilibus fœminis, quas è suo comitatu, ad eius cubiculum mater interdum quippiã nũtiatum allegabat, non nisi per conniuentem ianuam, deiectis, ne eas videret, in terrã oculis mãdata accipiebat, & reddebat, quàm pauciſſimis Q. id, quod ne matri quidem ipsi, sine arbitris, loqui sustinebat. ergò, si quãdo dũ cum ea in cubiculo vel cœnatione agit, interea cæteri dilaberentur, confestim & ipse discedendi causſam quærere, & si minus eã reperiret, ingenuo quodam rubore suffundi. tam singularis nimirũ erat eius solicitudo, & cautio. Rogatus quondã ab erudito quodã viro, qui id animaduerterat, ecquid ita mulierum, atq; adeò matris etiã aspectũ auersaretur, ne virtutẽ proderet, ingenitæ potius id verecundiæ assignauit. Præter alia, quæ ipsi cum patre conuenerãt, & illud fuit: vt ad omnia, præterquam ad feminarũ congressiones sese adhiberet. cæteris in rebus, pro eo ac deberet, in eius se potestate fururum. Itaque Marchio, postquam huius propositi adeò tenacem esse sensit, ne quà molestus esset, morem semper eius voluntati gessit. ipsemet etiam nõnullas illustres

fœminas, quas sanguine maximè attingebat, vnquam se negauit aspexisse. Erat verò hic eius mos adeò peruulgatus, vt à familiaribus per iocum identidem fœminarum hostis audiret. Adhæc, Florentię cùm esset, cœpit conscientiam per confessionem crebrius, quã adhuc Castilione fecerat, expiare apud Sacerdotem è Societate Iesu, à moderatore designatum, qui per id tempus collegium in ea vrbe gubernabat. Ad hũc, cum primum confitendi causa, ante domi multũ diuq; meditatus, probeq; instructus adijsset, tantam aduersus illum reuerentiã, verecundiam, suiq; despicientiã adhibuit, quasi mortales omnes scelerum multitudine superaret. Vix ad eius pedes acciderat, cum, deficiente anima labitur, atq; à moderatore necessariò subleuatus domũ reducitur. Eodem postea reuersus totius ætatis suæ noxas aperuit, qua de re, posteaquam religioso cœtui aggregatus est, sæpe prædicantem audiuimus: in ea se confessione acquieuisse, quam Florentiæ de tota vita obiuisset. Nimirum hoc illi noscendi sui, & rationum arctioris cuiusdam vitæ suscipiendarum initium fuit. cœpit enim tum quamlibet actionem suam studiosè excutere, &, si quid in ea vitij comperisset, eius fibris penitus perscrutandis, atque euellendis insistere. Primùm ergò animaduertit se,

tit se, quod feruidiore esset natura, nonnullo quandoque stomacho facile efferri, & exardescere, qui, etsi non erumperet, ægritudine tamen animum, ac dolore vexaret. Dedit igitur se ad cogitandam iracundiæ turpitudinem, quam manifestò apparere, & eminere dicebat, cum animo ad pristinam tranquillitatem reuocato, sentiret, hominem, dum ira teneatur, exisse quodammodo de potestate. Id cùm reputaret, decreuit in futurum, ad eam animi pestem compescendam, atque adeò depellendam incumbere. tandem, Dei ope, & summa animi sui contentione sic eam funditus vicit, vt omni postmodum iræ motu carere sit visus. Adhæc in hominum congressibus, sæpe sibi verbum aliquod effluere sentiebat, quod alienæ famæ deterendæ videretur. ac tametsi, vt ipsemet postea fassus est, quicquid id erat peccati, vix vnquam erat tantum, vt in ijs numerari posset, quæ ob leuitatem veniam mereri censentur, tamen huius gratia sibimetipsi displicere, ac, ne similis se præterea criminis apud Sacerdotem reum agere cogeretur, non aliorum modo amicorum, sed etiam familiarium consuetudinem, & colloquia fugitare, atq; in recessu, ac solitudine, vbi nihil q̃ vllam labeculam conscientię posset aspergere

gere vel diceret, vel audiret, plurimũ versari cœpit. Nimiæ quidem id religioni, & seueritati tribuebatur. at ille scilicet, quid alij sentirent susque deque habebat. Ab eo item tempore omni ludi genere reliqua ætate perpetuò abstinuit. Præterea tantũ maioribus obediendi amorem imbibit, vt neget moderator vel leuissimum vnquã imperium ab eo suum fuisse præteritũ. Quin immò fratrem suum natu minorẽ Rudolphum, si quando videret vel morum, vel literarum Magistri obiurgationes ferre molestius, coarguebat, atque, vt imperij audiens esset, hortabatur. Famulorum eam habebat rationem, atque ad eum modum illis imperabat, vt ipsosmet verecundiores faceret. Itaque negant vnquam eum pro imperio, sed his ferè verborum formulis præcepisse: Nisi tibi molestum est, licet hoc facias: si tibi commodum est, hoc abs te velim: Amabo te, hoc mihi effectum da. quæ cùm diceret, tanta erat in eo suauitas, vt famulorum se misericordia valdè permoueri ostenderet. ea re sibi eorum animos arctissimè deuinciebat. Verecundia tàm erat singulari, vt conspectum cubicularij mane eum vestientis erubescceret, vixque induendis caligis summos extra lodicem pedes porrigeret, adeò verebatur, ne quid in se nudi

nudi aſpiciendum prębęret. Ad ſacrificium quotidie, feſtis verò diebus, ad veſpertinas etiam preces itabat. Nihil id temporis de contemplatione, meditationeque rerum cœleſtium adhuc locorum cognorat, recitationi duntaxat precum intentus. igitur quotidie prima luce eas, quę Exercitio quotidiano continentur, aliaſque, quas ſupra memoraui, ſupplex, hocque agens iterabat. Tamęn etſi verò tum quidem, necdum cum animo ſuo fortunæ ſe bonis abdicare decreuerat, deliberatum tamen habebat, ſi ea retineret, quàm poſſet innocentiſſimum, accuratiſſimumq; viuendi inſtitutum perſequi. Atque hac grauitate morum id ætatis Beatus ALOYSIVS erat prædítus, eoſque diuinæ philoſophiæ fines attigerat, à quibus longè ſæpenumero abſunt, qui complures annos in ſeuerioris vitæ diſciplina poſuerunt.

CAPVT TERTIVM.

MANTVAM REVOCATVS conſilium capit Eccleſiaſtico more viuendi.

ALterum iam annum Florentiæ moratus erat B. ALOYSIVS, cùm à parente, cui tum Guilielmus Mantuanorum Dux montem Ferratum gubernandum tradiderat,

diderat, vnà cum Rudolpho minore fratre Mãtuæ viuere iubetur. Eò igitur, bona Magni Ducis venia, se cõtulit mẽse Nouemb. an. 1579. cũ annos 11. menses 8. natus esset. Ibi dũ vrget cęptã Florentię, piè exercendi, viuendiq; consuetudinẽ, nõ minus, quã quod antè ceperat, graui cõsilio, Marchionis Castilionensis titulis, atq; cõmodis, quibus iam Cæsarea auctoritate erat ornatus, se abdicare, & Rudolpho minori fratri cedere cõstituit. Ac etsi iã nuper nuptijs tẽperare certũ habebat, non tamẽ parum, ad hanc nouã cogitationẽ, afflicta per id tẽpus vrinę anguſtijs valetudo moměti habuit. nã, cùm vereretur ne id malũ gliscceret, visum est ei, auctoribus medicis faciundũ, vt noxios humores morbi materiã abstinẽtia cõsumeret: cui abstinẽtiæ tanta ꝑtinacia se dedit, vt mirũ sit mortẽ ab eo vitari potuisse. etenim si quando vna cęna ouum totũ (quod ꝑrarò eueniebat) edisset, tũ verò sibi per lautè epulatus videbatur. Hãc inedię seueritatẽ, cũ ipsam hyemẽ, qua Mãtuæ versatus est, tũ proximè consequentẽ æstatẽ Castilione, Medicis iã, alijsq; omnib. dissuadẽtibus, nõ amplius valetudinis, vt vulgò putabant sed, vt ipse iã religiosæ familię adiũctus Hier. Plato fassus est, pietatis causa retinuit. quãuis. n. sanitatis eũ amor principiò ad tã rigidã victus rõem cõpulerat, sensim tamẽ illa in consuetudinẽ vertit, &, Dei studio, voluptati esse cępit. At vt illa ad instãtem morbũ depel-

depellendū valuit, quippe cuius reliqua ætate sēper fuit expers, ita cęterā eius valetudinē labefactauit plurimum. Tenuitate.n. illa victꝰ, vsq; eò stomachū debilitauit, vt neq;, cū vellet maximè, cibum postea capere, neq; si reluctāti ingessisset, vllo modo cōtinere posset. Idcirco qui hactenus corpulētior fuerat, macilento postmodū semper corpore fuit. adhoc, pristinis viribus fractis, è natiuo illo robore ingens imbecillitas consecuta omnē funditus corporis habitum corrupit. quę tamen hunc eius animo fructum attulit, quod, ea de caussa, compluribus ludis, caruit, quos integra valetudine defugere nequiuisset. Ergo rarò prodibat in publicū, nisi aut ædē aliquam sacram, aut religiosorū domiciliū adiret, cū quibus de cœlestibus rebus sermones identidē conferebat. Erat etiā, cum Prosperū Gonz. cognatū suū virum principē viseret, in cuius aditu domus primò priuatū sacellū ingressus, aliquādiu orando Deo vocabat, deinde verò cū ipso, eiusq; familiaribus tanto ardore, & subtilitate de diuinis rebus disserebat, vt iam tum eū omnes in hominis sancti nūro ducerent. Reliquū ferè tēpus solus, atq; ab hominū cōsuętudine semotꝰ domi, modò legendis, quas Surius collegit, Diuorū historijs, quibus mirifice capiebatur, modo statis precibꝰ recitādis, alijsq; frequētādis pietatis officijs transmittebat. Quæ offi cia sic accumulabat quotidie, vt cū quietæ

illius

illius vitæ ſtudio omnis eum humani congreſſus paulatim tæderet, tandem ſtatueret Marchionis inſignibus opibuſque Rudolpho conceſſis, ſeſe Eccleſiæ mancipare: nó ſpe vlla honorum in ea conſequendorum, quos à compluribus non vno loco ad ſe delatos conſtantiſſimè ſemper repudiauit, ſed quod in eo vitæ genere ſolutius, atque tranquillius ſe in Deo colendo totum collocare poſſet. Cùm id ſederet animo, inſtare Marchioni patri ſuo cœpit, vt copiam ſibi faceret aulicis occupationibus exoluto incumbendi in ſtudia literarum. cõſilium tamen interea ſuum Eccleſiaſticorum inſtituta ſequendi, illum celabat.

CAPVT QVARTVM.

CASTILIONEM REVERSVS, eximiam precandi facultatem conſequitur diuinitùs, & ſancta myſteria frequentandi initium facit.

QVod ferè faciunt quotannis Gonzagæ Principes, vt exacta hyeme tantiſper Mantua ſeſe in diuerſa loca recipiant, dum æſtiui ſe calores fregerint; idem ALOYSIO Marchio mandauit per litteras, vti cum germano ſuo altero natu Caſtilionem rediret, ratus nimirum patrium cœlum

lum eius valetudini Mantuano secundius fore. Neque eum spes fefellit: plurimum enim illi loci amœnitas in aprico, atque ad aspectum iucundissimo colle siti, profuit; neq; dubito, quin, ea præcipuè curatione, quam erat mater adhibitura, conualiturus fuerit ex toto, si modò inducere potuisset animum aliquid de sua illa vitæ asperitate, cui se Mantuæ dare cœperat, remittere. sed ille nimirum de animi potius, quàm corporis salute solicitus, non modò nihil ex ijs pietatis studijs, quibus assueuerat, laxauit, sed ea potius intendit. Accedebat enim ad illas victus angustias, quas sibi summas indixerat, perpetua solitudo, in quam se, diuinarum rerum studio omnem hominum consuetudinem aspernatus, abdiderat. Cùm ergo se quotidie ab hominum hæc mortalia duntaxat sequentium vulgo abrumperet, longiusq; seuocaret, Deus, pro suo egregia eos, qui fideliter suo Numini seruiunt, remunerandi voluntate, non abstinuit declarare, quàm sibi cupidus ille sui honoris, piusq; animus, quo se duodecim annorum adolescens tanta morum innocentia illi consecrabat, gratus, acceptusque esset. Igitur quòd ad eam diem à nemine, de ratione res diuinas commentandi institutus erat, neque vllum eius vsum habebat, placuit Deo, vt absque cuiusquam alterius opera,

opera, ſuo ipſemet illum afflatu erudiret. Nactus enim eius mentem, propter inſignẽ puritatem, appoſitiſſimam ad cęleſtes diuitias accipiendas, ad maximè recõditas eum munerum ſuorum gazas perduxit, ſuaſque opes plena, (quod aiunt) in eum manu congeſſit. Siquidem cùm eius animum cæleſti quadam, & clariore quàm pro naturæ humanæ captu, luce perfudiſſet, longè accuratius, atque ſublimius, quàm mortalium præceptis fieri potuiſſet, omnem eum Dei vim, atque magnitudinem meditandi, reputandique viam perdocuit. Hunc cùm ſibi, quaſi ad vberrimum campum, & lætiſſima animi ſui pabula, tam benignè, tam facilem aditũ patefactum eſſe ſentiret, nimirum ſuo in illum amori ſeruiens, ſolidos dies, modo in rerum admirabilium, quæ in recuperanda ſalute noſtra euenerunt, modò in elogiorum, titulorumque Dei cogitatione defixus hærebat, cum interea tantis incederet lætitijs, vt nullum lacrymis modum ponere vllo modo poſſet. Itaque illis non modò veſtes quibus erat indutus, ſed cubiculi etiam pauimentum crebrò madebat. Idcircò plerumque diem clauſus deliteſcebat, ne ſi quoquam prodiret, aut ſenſum illum pietatis amitteret, aut à quoquam fleuiſſe compertus, impediretur. Id cùm animaduertiſſent,

sent, qui in eius erant famulatu sæpenumero per ianuarum rimas, quid ageret arbitrabantur. sæpe enim illum videbant, cùm ante Christi cruci affixi simulacrum intentis in illud oculis, plures continuẽ horas procumbens, brachijs interdum expansis, interdum, in crucis speciem, ante pectus compositis, tantam vim lachrymarum profunderet, vt foris etiam singultus, ac gemitus audirentur. subinde verò quasi acquiescentẽ, & abducto à sensibus animo, ad exemplum statuæ, ne deiectis quidem vnquã oculis, immotum perstare cernebãt. Quo tempore Moderator, cęteriq; cubicularij, illum inibi tam alienum ab omni sensu fuisse confirmant, vt neq; cubiculum transeuntes, neq; perstrepentes, eius animũ possent aduertere. Harũ rerum cùm fama serpsisset in vulgus, non iam familiares modò, sed ij etiam, qui de aulicorũ numero nõ erant, ad easdem rimas admissi, eademq; vsurpantes oculis, satis admirari non poterant. Non rarò etiam domestici, inter conscendendũ scalas in singulis gradibus Angelicã salutationẽ iterantẽ audierunt. Iã verò, tũ domi tum in publico siue rheda veheretur, seu peditus ingrederetur, nusquã animũ à meditatione mysteriorũ cęlestiũ auocabat. Qua in exercitatione pietatis, vt ante dixi, pręter S. sanctũ, qui eius animum hoc

diuino

diuino munere, velut vnguento quodam, imbuit, nullo Magistro est vsus. Verùm etiamsi iam meditandi modum teneret: necdum tamen id via & ordine facere didicerat, neque quos potissimum ad id locos deligeret, satis sciebat. Commodum igitur eo tempore in libellum incidit Petri Canisij de Societate IESV Theologi, in quo certa quædam ad commentandum capita, ordine quodam erant descripta. Ex eo non modò ad diuinæ consuetudinis amorẽ vehementius exarsit, verum etiam, quæ tenenda meditandi ratio, quæ tempora essent obseruãda, cognouit. Quanquam tunc quidem, nullis temporum certis cancellis commentationes suas definiebat, sed eas pro rei copia, proque incitato diuinitùs animi impetu vel producebat, vel contrahebat, sic tamen vt nunquam non ab ijs & mente nouis de cœlo luminibus illustrata, & voluntate nouo ardore inflãmata, & toto pectore noua suauitate delibuto discederet. Narrare posteà est solitus hunc eundem, de quo memini, libellum, atq; etiam Epistolas Indicas plurimùm animum suum Societati IESV conciliauisse. Libellum quidem, quòd se rerum in eo ordinem, ac multò magis spiritum, cuius impulsu scriptus esset, vehementer probasse, suiq́ue stomachi fuisse diceret, litteras autẽ, quòd ex ijs intelligeret,

ret, quid Deus, in adducendis ad Christum gentilibus, in ijs oris, opera Patrum Societatis IESV, rerum gereret. Igitur animum ipse suum ad hæc præclara facinora pro salute animarum, quæ tanti Deo steterint, vel cum suæ vitæ iactura, æmulanda excusitabat. neque committebat, quin etiam in illa tam tenera ætate eis pro sua virili opem afferre studeret. Ea gratia festo quoque die, ad Christianorum institutionum scholas ibat, ingentique ardore est ipse pueros de rudimentis nostræ Religionis erudire, ac fidei innocentiumq; morum præcepta ijs tradere laborabat. Id quod ille tam singulari modestia, humilitatisque studio faciebat, nullius vt pueri quamuis suæ ditionis esset, minimè verò inopum familiaritatem refugeret, omniumque intuentium animos ad Deum colendum, amandumque enixius, excitaret. Adhoc, si quam inter aulæ ministros discordiam esse intelligeret, redintegrare inter eos amicitiam studebat. Deo item Diuisuè maledicentes aut turpia iactantes cùm audiret, obiurgabat. Quos in oppido depravatis moribus esse cognorat, magna comitate hortabatur, seduloque allaborabat, vt ad frugē sese corrigerent. omninò vt diuinū numen violaretur ferre non poterat. In sermone solenne suum obtinebat, vt non

nisi de rebus diuinis differeret, idque tanta verborum, sententiarumq; grauitate, vt cũ sub id tempus vnà cum matre Dertonam sese ad salutandam Ducem Lotharingiæ illustrissimam fœminam, quę cum filia sua Duce Brunsuicensi illac iter habebat, cõtulisset, eius Principis assecłas omnes loquẽdo stupefaceret. itaq; cõsensu affirmabant, qui eius tàm præclarè, & sapienter de Deo verba facientis vocem audisset, non etiam vultum esset intuitus, ei grandem natu & prudentia virum, non puerum visum iri. Dum hæc geruntur, agebatur annus nostræ salutis M. D. L X X X. quo Carolus Borromeus Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis illustri sanctitate vir, à Gregorio Tertio decimo Pont. Max. Visitator Apostolicus earum omnium diœcesium, quæ in eius erant prouincia creatus, dum Brixiensem ditionem lustrat, cum septem duntaxat hominibus, quos ex omni comitatu, ne Ecclesiasticis viris, quos inspectum venerat, molestus esset, delegerat, Castilionem deuenit. Ibi, cùm alia multa Apostolico planè Spiritu præclarè gessit, tùm Anno dicto XI. Kalend. Sextiles, qui D. Mariæ Magdalenæ sacer est, Pontificio vestitu ornatus in æde DD. Nazarij & Celsi, quæ princeps est eius oppidi, fructuosam inprimis ad populum con-

concionem habuit. Ac tametsi Principes, compluribus ad eum allegatis magnopere rogassent, vt secum in arce esse vellet: nunquam tamen adduci potuit, vt alibi, quàm apud Archipresbyterum cuius erat proxima sacram ædem domus, diuerteretur. Huc ad eum cùm Beatus ALOYSIVS, quartum iam Mensem supra annum duodecimum agens, officij caussa venisset, incredibile quantum ex aspectu huius pueri, apud Deum, instar alicuius è cœlestibus mentibus, gratiosi, gaudium cepit, atque in suo conclaui, remotis arbitris, vsque eò longis cum eo, de diuinis rebus, sermonibus tempus extraxit, vt magnam omnibus, qui præ foribus opperiebantur, admirationem moueret. Nimirum iuuabat optimum Cardinalem, hanc teneram stirpem intueri, ~~inter medios non vnius sæcularis aulæ sentes~~, citra vllius mortalis coloni industriam, sola aspiratione cœlestis auræ nutritam, tanto iam robore, ac venustate florentem, inque tantam altitudinem Christianæ virtutis eductam. Ipse vicissim puer sanctus plurimum lætabatur, nactum se esse hominem, cui se confidenter indicare, & à quo eorum, quæ in studio verę virtutis obscura viderentur, explicationem petere posset. Nam cùm

de Cardinalis sanctitate, quæ erat in omnium ore, multa audisset, omnia eius verba, ac præcepta, quæ de instituto viuendi more tenendo ac persequendo tradebat, auidè, velut è Dei oraculo edita combibebat. Sciscitatus est ex eo Beatus Carolus, Ecquando ad sacram synaxin adiret? Cum ille negauisset, Cardinalis, qui iã integritatem animi eius, maturitatemq; prudentiæ, & hausta diuinitus rerum cœlestium intelligentiam perspexerat, magnopere illi auctor fuit, non modo vt adiret, sed etiam frequẽtaret. Deinde breui sermone rationem ei facilem, ad hunc omnis diuinæ beneficentię fontem tum sẽritè comparandi, tum piè accedendi exposuit. Adhæc hortatus illum est etiam atq; etiam, vt Catechismum Romanum, iussu Pij V. Pont. Max. ex decreto Cõcilij Tridentini editum crebrò, ac diligẽter euolueret. Quem librum, propter nitorem Latini sermonis tanti sanctus ille Cardinalis æstimabat, vt eum Cicerone, cæterisq; profanis latinitatis auctoribus repudiatis, iuuentuti in ludis bonarũ literarum explicandum esse censeret. scilicet vt simul ex eo pietatem, atque Latinæ linguæ copiam hauriret. neque dubitauit reipsa hoc, in mores Seminarij Mediolanensis inducere. verùm cum vsu ipso comperisset, ex animi sui sententia non procedere,

dere, mutato consilio, pristinos auctores quasi postliminio reduci iussit. Denique ALOYSIO cùm bene precatus esset, aliaq; ostendisset propensi sui in eum animi argumenta, copiam abscedendi fecit. Non commisit verò beatus puer, quin tam sancti Cardinalis monita commendaret memoriæ. ergo post illa iucundè inprimis Catechismum illum volutare cœpit, tùm quòd præclaræ ad omnem sanctimoniam doctrinæ, Christianarumque institutionum esset plenus, tùm quòd tam præstantis viri, quem, magno quidem eius merito, omni pietate colebat, consilijs ad eum legendum esset impulsus. Quin etiã instituit, tanti suasoris auctoritate, alios ad eiusdem libri lectionem allicere. Initium item fecit diuinæ Eucharistiæ fruendæ, ad quam, priusquam aggrederetur, incredibile est, quam diligentem pręparationem adhibuerit. Primùm enim, ne quid in animo suo inuenustum residere pateretur, quod in Dei hospitis quem præstolabatur, oculos incurreret. Sanè, quàm accuratè, & subtiliter omnem anteactam ætatem suam recensuit. Ad sacerdotem deinde semet accusatũ venit, quem tam præclaris pęnitentis, abiectiq; animi, cuius indices erant lacrymæ, exemplis instruxit, vt ad eum non reus, sed magister accessisse videretur. & verò si

quam ipse culpam sustineret, ea nullius erat facti, sed præteriti duntaxat, vt ipse sentiebat, officij. Nam, cùm immortalem illam lucem, quam eius menti, ad altiores quotidie virtutis gradus, Deus præferret, nunquam se progressibus faciendis assequi putaret, nimirum ignauus sibi semper, & cessator videbatur. Per omnes præterea dies, qui condictũ cęlesti epulo tempus anteibant, eius vnius memoriã animo & sermone vsurpabat. De eo quæ ab alijs præclarè sunt literis mandata voluebat, de eo secum ipse meditabatur, eius vt compos esset tam assiduò vota faciebat, vt familiares dictitarent, videri illum cum parietibus sermocinari velle. adeò crebro, modò in hoc, modò in illo domus angulo genua ad precandum submittebat. Cæterum quis eius intimi animi fuerit, cùm primum diuino conuiuio acceptus est, pietatis ardor, quàm inflãmatæ amore voluntates, Deo vni, qui eius arcana lustrabat, compertũ est. equidé mortalium neminẽ reperi, qui de ijs quicquam commemorare posset. Id vnum me relatum in acta publica legere memini, eum in participanda Eucharistia omnes animi vires collectas, admodumque attentas habuisse, vberibus delicijs perfundi solitũ palamq; omnibus illustre pietatis specimen fuisse: Sumpto diuino cibo nixus genibus,

genibus, vniuerso populo spectante, in æde sacra morabatur. Post id loci sacram Synaxin celebrare nõ destitit. Est & illud præterea non indignum memoria, quod tum à matre eius, tum ab alijs, qui rem non semel obseruarunt, accepi. Etenim ab hoc tempore tàm impensè sacram Eucharistiã est veneratus, vt quotidie, cùm rei diuinæ interesset, postquã sacerdos conceptis verbis Christi corpus confecerat, ingenti pietatis vi, in effusos fletus solutus, terram ipsam humectaret. Ad eundem modum reliqua deinde vita affectus fuit, nisi quòd festis diebus, quibus ipsemet sacro epulo reficiebatur, lachrymas fundebat vberiùs.

CAPVT QVINTVM.

PROFECTVS IN MONTEM ferratum graui vitæ periculo defungitur: animum ad Religiosorum institutum appellit.

NVntiatum erat Ferdinando Marchioni, qui etiamnum Casale Sancti Euasij, vbi est Gubernatorum Montisferrati prætorium, habitabat, ALOYSIVM quidem videri è nupera

sua inualetudine recreatũ: verum crebris, vixque mortali corpori ferendis ieiunijs, quæ sponte susciperet, ita fractum esse, vt dissoluto stomacho ægrè cibũ admittere, & custodire, nedũ concoquere posset, neq; quòd ipse sibi deesset, melius ei fieri. Marchio, cui huius præcipuè filij vita, ac salus cordi erat, spe ductus, si penes se eum haberet, aliquod ab se eius morbo remedium reperiri aut certè, ne longius serperet, prouideri posse, ALOYSIVM vna cum matre, & Rudolpho ad se accersit. Hi ergo, cùm æstas eiusdem anni M. D. LXXX. esset in exitu, Castilione Montemferratum versum se dant in viam: in qua ALOYSIVS manifestum vitæ discrimen adijt. Cum enim Ticinus annis frequentibus per eos dies imbribus vehementer auctus, necessariò vado transeundus esset, inter ipsas
NB. vndas rheda, qua ALOYSIVS cum Rudolpho, & moderatore vehebatur, media disrupta est. Pars anterior, in qua erat Rudolphus, quadrigis iuncta, etsi non absque labore, & periculo in vlteriorem ripam, quò iam cæteri currus transmiserant, ab ipsis pertracta est: posterior, quæ ALOYSIVM cũ moderatore ferebat, profluentis impetu procul abrepta, vtriusq; vitã in dubiũ adduxerat. Nam siue illã gurgites euertissent, siue hausissent, ALOYSIO certè per-

pereũdum in aquis erat. Sed nimirum Deo, pro ſua ſingulari, quam de hoc puero gerebat, ſolicitudine, curæ fuit prouidere, vt illud rhedæ fruſtum, ab ingenti arboris trũco, quem vis vndarum in medium flumen detulerat, tantiſper ſuſtineretur, dum qui alteram iam ripam tenebant, hominem regionis, & fluuij gnarum accerſerent. Is equo amnem inuectus eſt, in quem Aloyſium à tergo ſuo ſublatum incolumem eduxit, atque eodem deinde moderatorem repetiturus, & traiecturus redijt. Hoc diſcrimine perfuncti, facto agmine, ad propinquam ædem ſacram ſupplicatum, Deoque, cuius beneficio hunc tam grauem caſum effugiſſent, gratulatum iere. Interea loci ſubmerſos eſſe fama tulit. Mater primâ rhedâ iam prægreſſa, hoc accepto nuncio, triſtitię ac timoris plena, bonam viæ partem remẽſa eſt. Quin etiam vſque Caſale, ad ipſius Marchionis aures idem rumor affluxit. Is, rei cognoſcendæ, certum hominem maturare iuſſum, dimittit, neque deinde, niſi re explorata, partem vllam quietis cepit. Sed breui eum coniugis, & liberorum aduentus cura omni & mœrore leuauit. Verſatus eſt B. Aloyſius Caſale Montisferrati amplius dimidiatum annum, quo tempore cùm Latinis literis, in quibus progreſſus habebat minimè pęnitendos, nauabat operam, tum

verò piorum Patrum, quibus à D. Ioanne Decollato, ac vulgarius à D. Barnaba, cuius in Ecclesia Mediolani sunt exorti, nomen est inditum, consuetudine plena innocentiæ, ac sanctitatis longiùs etiam ad perfectam virtutem processit. His cùm vteretur sæpe familiariter, & pœnitentiæ, atque Eucharistiæ mysteria in eorum templo obire pergeret, clariùs sibi indies ad firmiores in cœlesti disciplina profectus, lumen accendit. atque vt suis præclarè factis alia, atque alia quotidie à Deo ornamenta merebatur, ita ille & noua æternæ doctrinæ lumina menti eius præpandebat, & nouo semper instinctu, velut stimulis quibusdã, ab his fluxis rebus abactum, ad cupiditatem maioris, & maioris sanctitatis excitabat. Ergò, quãuis operam daret parens, vt quò aliquid ex illa pietatis contentione relaxaret, crebram illi & variam remittendi, oblectãdique animi occasionẽ offerret, nunquã tamẽ vel latũ vnguẽ, à susceptis aduersũ Deũ officijs, abduci se passus est. Lud⁹ illi erat, precãdi causſa, celebrare ędẽ V. Matris, cognomẽto à Crea, quæ in propinquo, magno populi cõcursu colitur, & modò in Patrũ Capuccinorũ, modò in Barnabitarum cœnobium se recipere, deque pietatis institutis cum vtrisque colloqui. A quibus cùm miram in ijs sententiarum consensionem

nem animaduerteret, vix auelli posse videbatur. Admirabatur inprimis illam, quam in plerisque omnibus cernebat, vultus hilaritatem: illum rerum mortalium contemptum, illa stata precandi, & canendi tempora, illam totis ædibus quietem omni strepitu vacuam, illam animi, siue viuendum, seu moriendum sit, æquitatem. Hæc reputans, animum ad simile vitæ genus sensim adiungebat. Tunc præsertim, cùm Barnabitarum domicilium ingressus, secum ipse, per otium, felicitatem religiosorum hominum in animo volutaret, vel ob id, quòd omnibus fortunæ bonis, quò promptius Deo seruirent, abiectis, res eorum curandi necessitatem ei quandam attulerunt. Vbi ergò, quemadmodum ipse mihi postea Romæ, alijsque retulit, ita ipse cũ animo suo ratiocinabatur. *Viden' Aloysi, quàm beata sit religiosè acta vita? Hi patres, omnibus seculi laqueis expediti, omnes peccandi opportunitates procul habent. Tempus omne, quod cæterorũ hominũ vulgus caducis diuitijs, fallacibusq; gaudijs persequẽdis tribuũt, id illi in cõtrahẽdis immortalibus opib⁹ collocant. atq; his lucris, quæ simul ingẽtia sunt in Deũ merita, sibi illũ æternũ obstringũt, neq; metuũt, ne frustra pro pietate labores illos sustineãt. sũt religiosi homines illi demũ, si qui alij, qui in degẽda vita rationem ducẽ sequũtur, neq; sensus, cupiditatũq; dominationi*

tioni sunt obnoxij. Non illi honores ambiunt, nõ terrestria, & labentia bona loco vllo ducunt, non agitantur æmulationis stimulis, non inhiant aliorum fortunis: vno Dei seruitio, cui seruire regnare est, beati. Quid verò admirabilitatis habet, si tranquilli semper & læti, neque mortem, neque Dei tribunal, neque inferorum supplicia reformidant? Animos scilicet habent nullius criminis conscios. quid, quod dies & noctes cælestes diuitias accumulant, quandoquidem nunquam non rebus pijs operati, aut cum Deo semper aliquid agunt, aut Dei caussa. Testimonium igitur innocẽtiæ, quod eis conscientia ipsa tribuit, intimam animis pacem tranquillitatemq; conciliat, è qua tum serenitas, quæ in vultu notatur, tum spes minimè vana cœlestium opum promanat. Et quibus non gaudijs efferuntur, cum reputant, cui seruiant, & in cuius cohorte æuum degant? Tu verò quid agis? quid cogitas? quid est quamobrem hoc vitæ genus deligere nequeas? Prospice iam nunc animo, quæ illis à Deo præmia sint proposita. Cogita quantum otium, & facultatem sis habiturus pietati tuæ liberè seruiendi. Si Marchionis dignitate Rudolpho, vti decreuisti, transmissa, nobis ab ea discedere, multa fortasse tibi videnda erant, quæ probare non poteris. Dissimulabis? at qui conscientia te neglecti officij stimulare non desinet. Reprehendes? at molestus eris, aut certè surdo canes. Quid? vbi sacerdotio initiatus, inter Ecclesiasticos agitabis, an tum demum votorum te

tuorum

tuorum compotem fore cõfidis? Atqui exquisitius quoddam, quàm homines sedulo obnoxij, virtutis genus professus, ijsdem, quibus illi periculis iactaberis. Iisdem autem? immò verò vehementiores etiam tibi, quàm illispsis, qui matrimonio vincti sunt, peccandi illecebræ blandientur. Omninò, defugere non poteris, quin profanorum hominum sententiam obserues, ad eam mores tuos fingas, eorum voluntatibus obsecundes. Si enim in seculo te teneri patiaris, necessariò tibi alius post alium princeps, officij causa, conueniendus, ac deuinciẽdus est. Iam vbi illustrium fœminarum, quæ necessitudine aliqua tibi sunt connexæ, familiaritatem deuitaris, in hominum sermonem venies. Sin in eam te dabis, primum illud consilium tuũ profectò fregeris. Sacerdotia, & honores Ecclesiasticos admitte. in longè maiores, quàm quibus modò distringeris, occupationes à pietate alienas temet immerges. Recusa. Ab ipsis illis necessarijs, & propinquis tuis socors, & generis tui probrum audies. neque vllum tibi stimulorum genus subijcere desinent, donec ad honores suscipiendos perpulerint. At verò si Religiosorum disciplinam amplectare, hæc omnia, quæ te retinent, vincula quasi vno ictu abscideris: aditum deinde periculis omnibus intercluseris, tum deposueris omnem inanibus hominum studijs velificandi curam, denique in eo te statu collocaris, vbi nullares pacẽ animi tui delibare, aut Deo, omni studio virtutis, seruire cupientem retardare possit. Hæc atque alia,

alia, vt ipsemet prodidit, secum id temporis Aloysius cogitabat, quæ eius animum ita defixerant, atque à sensibus alienarant, vt facile intelligerent familiares, eum qui sic cogitationem intendisset, magnum aliquid secum moliri. Nemo tamen eum, quid agitaret, percunctari audebat. Denique postquam sæpe Deo supplicarat, sæpe se Eucharistia refecerat, vti tam grauia consilia versanti lucem afferret; ratus hanc mentem iniectam esse sibi diuinitùs, sęculo suas sibi res habere iusso, in aliquam religiosam familiam se migrare statuit, vbi præter Virginitatem, quam pridem Deo obligarat, Obedientiam etiam, & Paupertatem Euangelicam ex voto coleret. Verùm quòd necdum exacto tertiodecimo ætatis anno, factis cogitata persequi non licebat, neq; vllam familiam designauit, neque quid haberet in animo, cuiquam exposuit. Patres tamen illi quiddam odorati, in spem venerant ad eorũ aliquando cœtum aggregatum iri. Interea ille, ne cum animi sui proposito mores discreparent, arctiùs & attentiùs vitæ suæ rationem instituere, atq; inter sæculi, & aulæ delitias, hominum Religiosorum consuetudinem omnibus virtutibus exprimere: diutius secum in cubiculo habitare: nolle per hyemem in eo focum, quo adhuc, propter manuum

nuum teneritudinem, quæ frigore intumescere,& rumpi solent, accendi, vel importari: foris item nunquam igni appropinquare, aut, si aliorum societas aliter ferret, locum capessere, in quo minimè calefieret. Remedia sedando manuum tumori à domesticis ad se delata, cum grati animi significatione, accipere, sed sepositа vsurpare nolle. Omnia amore pro Deo aduersa patiendi facere. Omnem item populi celebritatem fugiebat. multò verò magis à comœdijs, cœnis tempestiuis, lautisque epulis abhorrebat; ad quas cùm non rarò à patre, nonnunquam etiam tam inusitatum eius solitudinis studium stomachante, inuitaretur, nũquam permoueri potuit. ergo cæteris eò confluentibus, solus remanebat domi, atque ibi interdum sacra meditando, interdum cum vno vel altero homine graui, & erudito de literis, vel pietate colloquendo, tempus fallebat. Interdum verò Patres Capuccinos, & Barnabitas adibat, &, quando nullis amplius sæculi pompis, & gaudijs duci poterat, sanctis eorum sermonibus fruebatur. Pater aliquãdo eum comitem sibi asciuerat Mediolanum, vt Transuectionem omnium eius prouinciæ equitum, cui illum propter munus quod gerebat, cum alijs multis viris principibus oportebat interesse, spectaret.

Cum

Cum ergò quod res & rara sit, & inprimis visenda magni ad eam fierent hominum cõcursus, Aloysius, qui, ne patrem pro imperio præcisè hoc iubentem irritaret, facere non potuerat, quin accederet; noua arte vsus, nunquam ab se impetrari est passus, vt in primis subsellijs, vnde commodissimè pompa omnis videri poterat, sederet, &, quod amplius est, quantum licuit, dedit operam, vt oculis semper esset vel clausis vel aliò conuersis. Denique verè mihi affirmare posse videor, eum pueritiam transegisse, neque vnquam puerum fuisse. neque enim vnquam illa ætate quicquam leuiter fecisse compertus est. Libros turpes, aut inutiles nũquã in manibus habuit. Diuorũ à Surio, & Lipomano descriptas legebat cũ voluptate res gestas. è profanis eos ferè legebat, qui de moribus scripserunt, vt Senecã, Plutarchum, Valerium Maximum. Exempla, quæ ex ijs excerpebat, in loco, cùm alios ad vitam è Christi vel Philosophiæ præceptis instituendam hortabatur, vsurpabat. Habebat enim aliquando sermones, siue palã cum pluribus, siue seorsim cum vno aliquo, ita sapientissimis sententijs refertos, ita disertos, ita ardentes, vt stupefacti omnes, doctrinam eius longè captum eius ætatis superare, ac proindè diuinitus hausta esse dicerẽt. Id etiam erat, cur eius necessa-

rij

sarij, cùm eius mores non ignorarent, neque tantam victus cultusque duritiem, rerumque omnium quæ in sæculo laudãtur, despicientiam æquis oculis aspicerent, tamen prudentiam eius singularem, virtutẽque reueriti, neq; quid ita faceret interrogare ausi, missum eum facerent.

CAPVT SEXTVM.

CASTILIONEM CVM PATRE reuersus, per summam austeritatem vitam agit, & diuina ope incendium euadit.

POstquam perfunctus Montisferrati administratione Marchio, cum familia Castilionem remigrauit, Aloysius non modò illam tam acerbè afflictandi sui, precandique contentionem laxauit, verum etiam sic intendit, vt mirum sit vel eum non graui aliquo morbo, qui perturbatam iam diu totam valetudinem funditùs perderet, oppressum esse, vel parentes, in quorum hæc oculis faciebat, non pro potestate vetuisse. Etenim ad illam victus parsimoniã, ac duritiam, quam Mãtuæ, vt supra memoui, erat complexus, neq; vnquã deinde abiecerat, complura in singulas hebdomadas plena ieiunia adiũxit, sic vt quot hebdomadibus minimum tria seruaret stata ieiunia.

Nempe Sabbato honori beatissimæ V. Matris: Feria sexta neci Christi Saluatoris nostri recolēdæ, quo die solo pane & aqua cōtentus mane tribus panis segmētis in aquam intinctis, nulla re præterea, vesperi autē in esurialem cœnulam, vno item panis modicè tosti, & aqua macerati segmento victitabat. Feria deniq; quarta interdum cæteris, præter panem & aquam sibi interdicebat, interdum receptum in Ecclesia ieiunij morem tenebat. Accedebant alia extraordinaria ieiunia, quę sponte sibi imperabat, quoties vel tempus admoneret, vel ad ea diuini amoris, & pietatis ardore raperetur. Præterea cibi erat adeò modici, vt nonnulli è patris cohorte mirati, quinā vitā tueri posset, decreuerint ipso insciente; quantū cibi vna mensa caperet, appēdere. ij postquā panē vnà cum obsonio statera examinarunt, iureiurando cōfirmant, q̄ ille prādere soleret, vel cœnare vnciā totā non pepēdisse. Quod pondus adeò non suppeditat cōsuetæ naturæ necessitati, vt fateri necesse sit, q̄ de alijs Diuis accepimus, vitam illi diuina quadam vi sustentatā esse, sine qua, tātilllo cibo videtur tolerari nō posse. Illud præterea fuit morū ipsius, ad id ferculum q̄ deterrimum in mēsam allatum putaret, oculos adijcere, atq; eius pauxillo degustato, cetera intacta relinquere. Postremis verò annis, extra ieiunij

iunij dies, non nisi ad libellã expensо, vsus est cibo, dictitans id ad viuendum satis esse: q̃ superaret, vt superuacaneũ esse respuẽdum. Atq; hæc, quæ de eius ratione victus sunt narrata, tum alij, tum qui ei à poculis fuit, & præguſtator, alijq; mẽsæ administri iurati dixerunt. Iungebat huic tam seueræ abstinentiæ alias etiam inflictas corpori pœnarum acerbitates: Itaq; singulis hebdomadis minimum ter se flagris excipiebat: vltimis verò annis, quibus in seculo versatus est, quotidie; ac tandem intra noctis & diei spatium tertium, vsq; eo dũ suo se sanguine perfunderet. Quia verò principiò cõtexto in hunc vsum flagello carebat, loris quibus canes alligari solent, quæ forte domi reperierat, aut funium fruſtis, aut, vt nonnulli asseuerãt, catena ferrea vapulabat. Qui obsequij causſa præ foribus eius excubabant, sæpe se illum nixũ genibus, seq; ipsũ cędentem offendisse testantur. item, dum lectũ sterneret, reperiebãt sub ceruicali abstrusa flagella funiculis contexta, quibus in se animaduertebat. Matri etiã non semel ostensa sunt eius induſia, sanguine flagrorũ ictibus expresso penitus imbuta. Horũ certior factus Marchio tũ alias frequẽter in eũ vehementer inuectus est, tũ aliquando ad cõiugem conuersus, hoc etiam mœstus adiecit: Hic puer manus sibi ipsi violentas videtur

inferre velle. Faciebat & illud crebrò, vt fragmen aliquod tabulæ, aut alterius ligni linteis lecticarijs tegeret, quo ipse sibi dormiẽti molestiã faceſſeret. Ne verò interdiu perpetuo dolore corpꝰ vacaret, pro cilicio, quod illi deerat, calcaria (ô rẽ nouã & inauditam) ad fodienda equorum latera comparata, nudo corpori admota gestabat, & in mollẽ suã carnẽ ferreos illorũ radiolos sic defigebat, vt acerbo eã cruciatu torquerẽt.

Qua ex re satis liquet, quam se totum ad sanctioris vitæ studium contulerit, qui annorum tredecim, & dimidiati, in tã florẽte & delicata fortuna natus nullo præceptore, corpus tam miseris habuerit modis. Sociabat sanctus puer hæc ieiunia, cæteraque incommoda, quibus corpus sponte vexabat, cum mentis exercitatione, & præcipuè cũ tanta precandi assiduitate, vt quidam eius aulæ muneribus functi, apud acta sãctè iurati negauerint, vnquam se in eius conclauia veniſſe, quin orationi intentum occuparint, ac sæpe priusquam eius finem faceret, diu sibi pro foribus manendum fuisse. Mane postquam è lecto surrexerat, in meditatione rerum cœlestium horam ipsam consumebat, quam non clepsydræ fluxu, sed caritatis in Deum impetu, ac cœlestis dulcedinis sensu metiebatur. sub hæc, familiares suas preces recitabat. Rei prærerea

diuinæ

diuinæ dabat operam quotidie, & sæpenumero sacerdoti ministrabat, qua re mirificè ducebatur. Insuper religiosorum eius oppidi hominum, interea dum publicè Deum comprecarentur, atque laudarent, singulari exemplo, atque ipsorum fructu, cœtibus se miscebat: reliquum diem in libris sacris volutandis, aut in sacrorum arcanis considerandis, animoque penitus cõtuendis abditus, latebat. Appetente nocte, priusquam ad quietem se conferret, vnam & alteram horam orationi impendebat tanto sensu, nullum vt ei modum statuere posse diceres. Cubicularios qui foris opperiebantur, dum cubitum concedenti seruirent, nonmodò non tædebat eius morę, sed plurimum etiam eius exemplo proficiebant ad virtutem. Igitur modò per ianuę rimas introspiciebant, quemadmodum se inter precandum gereret, modo domini ęmulatione, & ipsi Deo supplices accidebant. Quid plura? tã erat multus in recessu, & rebus sacris cogitandis, vt minimè vanus sit, qui eum continuè mentem in Deũ intentam habuisse, confirmarit. Idcircò sępe querebatur Marchio, ęgrè posse illum ab se è cubiculo protrahi, c P. Prospero Malauoltę memorauit, locum, in quo se prosternebat ad precandum, sępius se lachrymis rigatum vidisse. Neque verò, quando

alicuius eum negotij cura è latebris euocaret, idcircò mentem ab eo quod esset meditatus, aberrare sinebat . quippe siue ille prima luce de Christi cruciatibus, siue de alio quopiam argumento commentaretur tàm altè illud imprimebat in animum, vt eius memoriam nulla diurna occupatio delere posset. Quid quod nõ satis habebat interdiu, & sero diei in orationem incumbere, sed eius insuper gratia de multa nocte, clam suis omnibus corripiebat è strato corpus, illisq; dormientibus, solo indusio opertus, per tenebras & noctis silentium in medio cubiculi, procul sẽper ab omni fulcro, genua in nuda figebat humo, & cœlestia mente pertractans bonam noctis partem conficiebat . Neque id solùm æstate, verùm etiam brumalibus mensibus, quæ anni tempestas, in Gallia Cisalpina, frigoribus inprimis aspera est, quibus ita toto corpore cohorrescebat, vt paullulum ab instituta cogitatione auerteretur. Id ille vitio sibi vertens, tamdiu summa sibi vi, vt intẽto in Deum animo esset, imperare institit, donec mente iam quodammodo à sensibus distracta, nullo amplius frigoris dolore tãgeretur. Veruntamen sic interea omnibus membris, calore vitali fugiente, obrigue-rat, torpebatq;, vt corpus genibus vltrò nitl inualidũ, cùm neq; sedere, neque vsquam recum-

recumbere, obstinasset animo, ad nudum rigidumque solum defluere sineret. atq; ita iacens cœptam meditationem prosequebatur. Quare mirum mihi videri solet, quomodo non in grauem aliquem morbum delapsus, aut vi frigoris ambustus, extinctusque sit ipse certè familiaribus quibusdam suis, quibus hæc inconsulta, ac præferuida (ita enim appellabat) facta sua, iam religioni consecratus confidenter explicuit, fallus est se, dum ita pronus humi iaceret, adeò viribus interdum destitutum fuisse, vt cum saliuam ne ore quidem posset eijcere, resorbere cogeretur. Ex eo conatu, quo B. Aloysius id egit, vt inter preces, omnes semper animi partes collectas haberet, capitis dolor extitit, qui reliquã deinde illum ætatem vehemẽter exercuit. Verũ ille grauia, ac præcipuè, similẽ atq; Christus ex cõsertæ spinis coronæ aculeis cepisset, dolorẽ pferendi studio, nõ modo nullũ ei restinguẽdo remediũ, sed varias potius eius fouẽdi, inflãmandiq; vias quæsiuit: ratus eũ sibi salutarẽ esse, quãdo neq; ab suis rebus gerẽdis quicquã fere eũ impediebat, & supplicia Christi redigebat in memoriã, & nõnulli in cælo præmij merẽdi causã dabat. Attamẽ vsu venit aliquãdo, vt illo dolore solito acerbius exagitatus, citius, quàm consuesset, in lectum se reciperet. post, vbi redijt in

memoriam, necdum se eo die pro eo ac soleret septem psalmos Pœnitentiales recitasse, decreuit non nisi eo penso persoluto oculos ad videndum somnum claudere. Igitur puerum a cubiculis, candelam pone lectum destituere, atque abire iussit. Septem illis psalmis absolutis, cum dolore capitis, tum somno oppressus candelam est oblitus extinguere. Ea ergo tota absumpta, ignis, cum vnum lecti latus corripuisset, citra flammam, eousque perrepsit, seque diffudit, dum vela omnia, quæ lecticæ prętensa erat, vnam culcitram stramineam, ac tres lanteas exureret. Dum hæc maximè ignis depascitur, experrectus Aloysius vbi tantum sensit ardorem, cùm præterea dolore illo capitis grauiter conflictaretur, in animum principiò induxit, febri se laborare: sed cum cætera omnia nihilominus æstuare tactu explorasset, vnde ea vis caloris insuetati esset orta, coniectura assequi nequibat: & nihilo seciꝰ denuò tẽtat obdormiscere: sed frustra. Quapropter cum æstu ac fumo increbrescente pęnè suffocaretur, desilit è lecto, atq; aperta ianua puerũ inclamat. Vix pedẽ in limine posuerat, cũ erumpens flãma reliquum lecti hausit. id, ne tota domus eodẽ igne cõflagraret, exciti milites, qui erant in arcis præsidio, in subiectas fossas de fenestra præcipitant. Neque dubium

dubium est, quin, si vel tantillum lecto egredi moratus esset, in angusto præsertim, vti postea vidi, atque id temporis occluso cubiculo, vel igne consumptus, vel fumo præfocatus interijsset. Sed nimirum Deus, quem iam religioni designarat, neq; ignorabat cuius gratia in hoc discrimine versaretur, præcipuo quodam nutu ab omni noxa vindicauit. Itaq; cum consensu omnes eius salutem Deo acceptam vulgo ferebãt, tum ad ipsos etiam Duces Mantuam pertulit rumor, vetustissimo liberorum Marchionis, miraculi quiddam euenisse: &, nescio quanto interuallo, ipsa Leonora Austria, de re tota coram, ab ipsomet erudiri postulauit. Ille vt rem vulgatam intellexit, fortassis ne id etiam resciretur, quid ita cãdelam iuxta lectum ardere siuisset, ad eam quæstionem non mediocriter erubuit. Soletpostea ALOYSIVS, qui multis iam casibus æternæ prouidentiæ pro suo capite excubias, curasque exploratas habebat, in omni fortuna omnibusque cum suis, tum patris negotijs, cæteris consilijs preces præuerti, seq; Dei potestati permittere: id vnũ obtestatus, vt quod optimum factum esset (his enim ferè verbis sua Deo commendare est solitus) annueret. Neque verò hæc illum vnquam spes, diuinæq; erga se voluntatis fiducia fefellit. quippe ipsemet aliquã-

do nõ est veritus profiteri (quod sanè portento simile est) nihil se vnquam magnum,
NB nihil mediocre à Deo irritis precibus popoſciſſe, neque vllum negotium quamuis implicatum, aliorumque opinione deſperatum, atque perditum, quod eius prouidentiæ commiſerit, non ex animi ſui ſententia confectum eſſe. adeò diuina benignitas ſemper eius orationi patuit.

Ex hoc eodem quotidiano cũ Deo vſu,& illa manaſſe videtur animi excellentia, ac magnitudo, quæcumq; mundus poſſidet deſpicientis, ac nihili pendentis; qua dote, nihil aiebat eſſe præclarius. ergo in Principum palatijs, dum ſupellectilem argenteã, & auream, veſtem ſtragulam, miniſtrorũ obſequia, aliaque de eodem genere aſpiceret, quòd hæc omnia perquam vilia haberet, atque indigna, quæ tanti hominum iudicio ęſtimentur, riſum interea vix tenebat. Quocirca crebris ſermonibus, quos cum matre habuit confidentius, negauit ſe ſatis mirari poſſe, neque augurari, quid cauſæ mortales poſſint dicere, quin Religioſi omnes fiant. ſiquidem luce meridiana illuſtriora eſſe emolumenta, quæ non illi tantum futuræ, ſed huic etiam inſtanti vitæ mortalium afferat Religio, cum eorum, quæ in hoc ſæculo prima ducuntur

cuntur, breuis sit fructus, & eorum studiosi malis viui mortuique mactentur. Mater, cùm hæc differentem audiret etsi facilè videbat, quid consilij cum animo suo traheret, non tamen idcirco, ea de re, verbum cum ipso vllum, tum quidem, commutauit. Tametsi verò omni ferè hominum congressu abstinebat, cum tamen in eum se dabat, Ecclesiasticis ferè, & religiosis viris, qui Castilione degunt, vtebatur familiariter. Sed quoniam non pauci honestissimi homines, in eo oppido nati, in varijs sanctioribus familijs versantur, per alias quidem regiones dispersi, sed qui nonnunquam patriam reuisant. hos simul atque ALOYSIVS adueniisse cognôrat, ad eos de diuinis rebus, cum ijs colloquendi causa adibat, calculos piaculares, cereas Agni Dei imagines, alias res similes ad pietatem comparatas ab ijs cupidè, & magno pietatis sensu accipiebat. Præcipuam verò voluptatem hauriebat ex aduentu quorundam Reuerendorum Monachorum, è Congregatione Casinensi D. Benedicti, qui, cùm in eius vitam quæstio Mutinæ haberetur, præclarum ei sanctimoniæ, & pietatis testimonium dederunt. Neque minus propenso erat

animo

animo in Reuerendos nonnullos Patres, è Familia D. Dominici, qui per æstatem, animi causſa Castilionem veniebant, cum quibus item familiariter, de rebus animo salutaribus sermocinabatur. In his erat R. P. F. Claudius Finus Mutinensis, Theologiæ Doctor, & Lector, atque magni in Gallia Cisalpina nominis concionator. Is cũ alias, tum paulò antequam mortem obiret, apud Tribunal Episcopi Mutinensis, ea de re interrogatus, his verbis, quæ propter hominis auctoritatem referre visum est, iuratus respondit.

Illustrissimum Dominum ALOYSIVM *Gonzagam, ad quem tituli ac fortunarum Marchionis Castilionensis hæreditas pertinebat, non de facie modo, sed ex iterato etiam cum ipso sermone tunc cognoui, cùm vna cum meis sodalibus Castilionem, inq; alia in eius familiæ ditione posita loca secessissem. Libenter enim mater eius operam dabat, vt tum cum alijs, tum præcipuè mecum conferret. Equidem ab illo, propter singularis exempli sanctimoniam, quæ in eius moribus, sermone, gestu, sententijs exsplendescebat, attonitus, atq; nõ sine quadam iucunditate mentis, amore virtutis ardentior discedebam. Omnis ferè familiaris eius oratio ad eximiũ quoddam submissè se gerendi studium, Laudemq; eorum spectabat, qui se ab ijs, quæ cæcis mortalibus amœna, atq; magnifica videntur, abiungunt. Quon-*

dam

dam etiam mihi, Non est, inquit, quod natales nos insolenter efferant. quoniam nihil inter Principum, & mendicorum cineres interest, nisi quòd illi grauius fœteant. Nihil illa ætate puerile designabat. insignitè modestus: fugitans subinde congressus, atq; interim tacitus, cogitabundus, grauis, pius. In ore crebrò habebat has voces. Quam velim tanto dei amore flagrare, quanto tanta maiestas digna est? cor mihi mœrore conficitur, cum tam ingratos in eum Christianos esse video. Ad modestiam item, honestiq; amorem pertinet ille eius pudor vsq; eo simplex, & candidus, vt si cui vel inter facetias, & iocos verbum aliquod excidisset vel tantillum à modestia abhorrens decenti rubore, & modestißima significatione doloris, miseri tum sibi esse errantis ostēret. Interea, dum de perfectioris vitæ præceptis loquentes, aut de quopiam narrantes audiebat, qui in religiosum cœtum trāsisset, exultare gaudio, vultum ad maiorem serenitatem componere atq; alium oris habitum induere videbatur. Interdum etiam cum gemitu exclamabat. Deus bone? quantum est in solidis cæli gaudijs voluptatis, quandoquidem institutus de illis inter nos hic in terra sermo tātopere nos oblectat? Nonnunquā, vnà cum illo, in ædem sacram sum ingressus. ibi ille, tametsi puer, magno natu, & religionis professione spectatos viros editis insignibus, Deum demissißimè, & subiectißimè colentis animi, exemplis longè superabat. quandoq; lamentanti simili.

Dictum Aloysij

milis, quandoq; defixis in alicuius Diuorum imaginem oculis, neq; vocantes, neq; alloquentes audiebat, neq;, nisi aliqua mora interposita; respondebat, vt mentem à sensibus peregrinatam esse constaret. Non semel mihi affirmauit, singulari se in Beatissimam Virginem pietate ferri, & cor sibi, eius duntaxat audito nomine, incredibili voluptate diffuere. Equidem illum arctiori religione obligatum non noui, à grauissimis tamen hominibus Mediolani, Brixiæ, Cremonæ, Ferrariæ, Genuæ, Mantuæ alibique accepi, eum Societati IESV adiunctum, in ea cum illustri apud omnes sanctitatis gloria vixisse. per eandem item sanctitatem esse emortuum multi viri religiosi, magnæ auctoritatis asseuerarunt. neq; pauci censuerunt tutius fieri, cùm nos ipsos eius animæ, quam cùm eius animam Deo commendamus. Præterea fama miraculorum, prodigiorum, beneficiorum, quæ eius gratia accidunt diuinitùs, itemq; cælestis honoris, in quo eius sanctæ reliquiæ habentur, longè lateq; est peruagata. Hæc Reuerendus ille Pater Dominicanus.

CAPVT SEPTIMVM.

PROFICISCITVR CVM MARchione in Hispaniam, & quomodo vitam illic in regia traduxerit.

Age-

AGebatur annus Christi M.D.LXXXI. cuius autumno Maria Austria IMPPPP. Caroli V. Filia, Ferdinandi Inurus, Maximiliani II. coniunx, Rudolphi II. qui etiamnum imperat, mater, ac Philippi II. Regis Catholici soror, è Bohemia in Hispaniam commigrauit. Eam honoris causſa, ab eodem rege, aliquot Itali Principes, illi regno deuincti, atque inter hos Ferdinandus Marchio B. ALOYSII Pater, ex Italia in Hispaniam traijcientem prosequi sunt iussi. Ei cùm coniunx eius Martha, ipsius Augustæ rogatu, comes accederet, tres etiam liberos itineris socios adsciscunt: filiam vnam cui Isabellæ nomen, quæ cùm posteà in Hispania remansisset, ibi inter Principes gynæcei Isabellæ Claræ Eugeniæ Infantis Hispaniarum feminas viuendi finem impleuit. ALOYSIVM maximum suæ stirpis dimidiati iam anni supra tertium decimum, & Rudolphum ætate aliquanto minorem. Hoc itinere quod ex Italia in Hispaniam confecit ALOYSIVS, nunquam, vti iam solenne illi erat, quotidie diuina meditari, & ardorem illum in pietate adhibere intermisit. itaque animum nunquam non his talibus curis districtum habebat. Percrebuerat in triremi, periculum esse, ne in

Annus

ne Turcarum potestatem venirent; hic ille repentina cupiditate exardescens: *Vtinam*, inquit, *ita casus ferret, vt Martyres fieremus?* Adhæc eius mater mihi commemorauit, eum inter marinos illos scopulos lapillum offendisse notis quibusdã distinctum, quæ sacratissimas Christi Saluatoris nostri plagas referrẽt. ille verò; cuius tota mens semper erat in pietate, ratus eum sibi diuinitus obiectum esse, quò intelligeret similes sibi ac Christo pœnas patiẽdas esse, ad matrem conuersus: *Aspice Domina*, inquit, *quod mihi Deus obtulit? & tamen pater adhuc me vetabit religiosum fieri?* eum deinde lapidem, quippe Christi patientiæ monumentum, diu in honore habuit. Postquam in regiam deuenerunt, Marchio vetus suum cubicularij munus sustinuit, ALOYSIVS, & Rudolphus allecti in Meninos, hoc est, ephebos honorarios, Iacobo Principi, Regis Catholici Philippi II. filio, Philippi III. qui hodie regnat, fratri natu maiori ministrarũt. Amplius duos annos B. ALOYSIVS in Hispania commoratus est, quo tempore gnauiter inprimis in studia literarum incubuit. Logicam ei tradidit sacerdos quidã ante alios eruditus. Sphæræ autem descriptionem Dimas regius Mathematicus: adhæc quotidie à prandio, magistro Philosophiam, & Theologiam naturalem tradenti

dabat

dabat operam, in qua tantùm profecit, vt, cùm fortè eo tempore Compluto iter haberet, quo studiosus quidam è Theologia theses proposuerat ad disputandum, præsidebatque P. Gabriel Vasquez (quem deinde Romæ Theologiam explicantem audiuit) ipsorum inuitatu, adolescens quatuordecim duntaxat annos natus, conquisitis argumentis, singulari cum Laude, & applausu præsentium, probare conaretur, mysterium Sanctissimæ Trinitatis naturali vi mentis posse cognosci. His aulæ, literarumque occupationibus astricto facile animaduertebat ALOYSIVS parum otij ad pietati seruiendum posse supereſſe, præsertim quòd à primo ne orationes quidem quibus consueſſet, neque Confessionis & Eucharistiæ mysteria crebris obeundi facultas erat. Iamque desiderium illud incitatum fortunæ commoda quamprimũ abijciendi, & illæ diuinitùs animo iectæ faces, quibus antea arserat, sensim langueſcere videbantur. Quocirca Dei impulsu, hominum rumoribus, iudicijsq; contemptis, in ipsa regia per quantam maximam posset religionem, & innocentiam agitare decreuit. Ea gratia suis confessionibus excipiendis sibi delegit P. Ferdinandum Paternum Siculum è Societate IESV, qui ea tempestate Mantuæ Carpetanorum habi-

tabat. neque postilla intermisit animum identidem pœnitentia, Eucharistiaque expiare. Quam porrò in ea regia abundanti omnibus, quæ hominum animos solent distendere, sit purè integreque versatus, testimonio sunt eius, quem dixi, patris litteræ anno M. D. XCIV. datæ, in quarum exordio sic habet. *Expediam breuiter quod ex me quæris R. P. In* ALOYSIO *fratre nostro, quem ab ipsa pueritia in Hispania cognoui, semper tàm insignem animi candorem, & innocentiam comperi, vt, eo toto tempore, quod aliquot annorum fuit, non modo nullius eum peccati mortiferi, quod & abhorrebat, vt qui maximè neque vnquam in vita contraxerat: verum etiam sæpenumero ne tantillæ quidem noxiæ reum inuenerim, cuius absolutione indigeret. Neque verò hæc tarditati naturæ, aut hebeti ad intelligendum ingenio attribui possunt. quippe qui iam tum id ætatis, & grauitate morum, & perspicacitate mentis, atq; prudentia longè erat seni, quàm adolescenti similior. Otij, ac desidiæ maximum illum odium ceperat. itaque semper honestis exercitijs, sed plurimùm legendis sacris Biblijs, in quibus eius animus acquiescebat mirificè, distinebatur. In verbis item tantam eius modestiam notaui, vt ne leuissimo quidem dicto quenquam aliquando perstringeret.*

Ex hisce Patris verbis, qui ei à sacris confessio-

fessionibus fuit, & alijs quæ deinceps collocabo, satis liquidò cognosci potest, eum inter medias occupationes aulicas, cœlesti quodam, & angelico more vixisse. est enim eximia quædam laus, cùm quis in aula diuersatus, ne eorum quidem delictorum compertus fuisse prædicatur, quibus etsi venia prompta est, absolutionis tamen indigent. In publico tàm erat compositus, ac modestus, vt oculos nunquã humo attolleret. Itaq; cùm ita sermo ferret, narrauit iã Religiosus se neq; Mantuæ Carpetanorũ, vbi aliquot annos degerat, neque Castilione, vbi natus & educatus erat, viam absque duce posse reperire; quo duce semper vti solitus est, tùm ne quæ auocandi à cogitatione animi occasio daretur, tùm, quò suis meditationibus, vt ipse dicebat, vacare posset. De hac eadem eius modestia, atque oculorum continentia rem sanè nouam, & inauditam narratum eo, quæ ex testimonio P. Præpositi Prouincialis Neapolitani Societatis IESV, quo perfamiliari vsus est, monimentis publicis est consignata. Res sic habet. ALOYSIVS, vt dictum est, in comitatu Imperatricis iter in Hispaniam ex Italia fecit, deinde dum versatur in regia, prope quotidiè cum Iacobo Principe, eandem Imperatricem salutatum adijt, ac denique sexcentis

opportunitatibus eam videndi, & accuratè contemplandi vsus est. fuit nihilominus tàm singularis eius modestia, vt illi Patri, quem memoraui, sit confessus, se ne semel quidem eius faciem vidisse, aut ad eam aspexisse. At quis nescit, quanto plerique omnes, eiusmodi in dignitate positos homines, cùm tempus oblatum fuerit, videndi, atque attentiùs considerandi studio teneantur, & quanti ad illos spectandos, in ea loca, quæ præteritur, sunt, concursus multitudinis fiant. Cœpit iam tùm vestes detritas & obsoletas, ac tibialia appositis supra genua panniculis resarta, quorum vel postremos homines pudere solet, in delicijs habere. Nimirum ille huius corrupti mundi contemptor, quorsum homines illi obnoxij sua facta acciperent, nihil morabatur. Nam vestimenta quoque noua patris iussu confecta, quamdiu licebat, induere cessabat, atque vbi semel, aut iterum illis ornatus incesserat, ad pannos suos commodè redibat. Torques aureos, aliaque ornamenta, quæ illius regiæ mos amat, respuebat, cùm diceret, hunc apparatum, eorum esse qui non Deum, vt sibi certum esset, sed corporis, fortunæque gaudia sequerentur. Huius gratia multum illi principiò, cùm irato patre filij modestiam

stiam suum, suæque familiæ dedecus interpretante conflictandum fuit. ad extremum constantiæ filij manus dedit, quodque antea, certis de causis, probare non poterat, admirari cœpit. Attamen etsi ALOYSIVS sibi seorsim paupertatem tantopere caram haberet, facile tamen famulos, ac stipatores suos, pro suo quemq; muneris, & dignitatis gradu ornatos esse patiebatur. Tantæ erat eius cum proceribus aulæ conuictus grauitatis, religionisque plenus, vt eo superueniente, aut eminus conspectu hilariores sermones abrumperent, seque ad modestiam componerent. & quoniam liquebat, nullo eum vnquam dicto vel facto non omnes honestatis numeros obiuisse, neque vllum siue seriò seu iocò indecorum dictum ad aures posse admittere, in communi primorum aulæ prouerbio versabatur: Marchionem Castilionensem minorem non videri carne constare. Nullam occasionem aliorum commodis seruiendi elabi sinebat. Iacobum Principem etiamtum paruulum è fenestra prospectantem, ventus vehementiori flatu incessebat: cui ille pueriliter indignabundus. *Heus vente*, inquit, *impero tibi, vt molestiam mihi exhibere desinas.* Tum ALOYSIVS, qui proximus astabat, opportunitate vsus: *Potes*, inquit,

Domine, homines tuis dictis obedientes nanciſciſci, in elementa autem ſolius Dei imperium eſt, cui & te parere oportet. Rex, vti de omnibus filij rebus ſolebat, ita de hoc quoque mandato quod vento dederat, atque de ALOYSII apophthegmate certior factus, in loco, & prudenter dictum eſſe iudicauit.

Dum in Hiſpania verſatur, incidit fortè in librum, quẽ de ratione piè meditandi, mẽtemq; à cæteris curis reuocatam. in id vnũ configendi Ludouicus Granatenſis edidit, eius lectione impulſus concepit, quotidie minimum vnam horam intenta, ac nuſquá diſperſa mente res ſacras meditari. Igitur cùm in genua aſtitiſſet, nulli vnquam adminiculo innixus meditationem ordiebatur, ac ſemihora, aut tribus, verbi gratia, partibus elapſis, vbi vel tantillum in mentem venerat, quod eam ab inſtituto auerteret, ſuperius omne tempus pro perdito ducens, alia denuò hora meditandi initium faciebat, idque deinceps tamdiu iterabat, donec vnam aliquam horam omni mentis aberratione caruiſſet. Itaque aliquamdiu ſolenne illi fuit quinas, & interdum amplius horas ritè meditando tranſigere. Verùm ne his talibus occupato quiſquam ſuorum, vel alienorum interueniret, & obturbaret, in obſcuras ſe latebras,

inter

inter destinatas Vulcano lignorum strues, abdebat. Ibi dum Deo contemplando propitiandoq; pietati suę indulget, nunquam à domesticis tametsi multum seduloque vestigantibus reperiri potuit. De quo tum maximè à parentibus obiurgatus est, cùm eum amici aliqui homines illustres salutatum veniebant. Sed ille nimirum qui illas mortalium congressiones, beneficijs quibus interea de cęlo afficiebatur, lõgè postferebat, spretis hominum rationibus, nihil veritus parum officiosi vrbaniąue aduersum homines notam, dummodo ne minus in Deum pij culpam sustineret, nunquam, vt hominibus gratum faceret, illa religionis exercitia vel omisit vel interrupit. Id postquam eius amicis gnarum fuit, abstinuerunt scilicet talibus officijs, vacuumque inanibus negotijs, ac securum ab omni interpellationis metu reliquerunt.

CAPVT OCTAVVM.

SOCIETATEM IESV INIRE statuit, idque consilium parentibus exponit.

ALterum iam annũ, & sesqui B. Aloysius in Hispania egerat, cũ diuini spiritus instinctu, quò magis magisq; indies

agebatur, illud iam esse censuit, cùm pro eo atque in Italia deliberatum haberet, alicui se Religioni tradere fas esset. Vt autem cum animo suo posset statuere, quam tandem deligeret ex omnibus, maiore quam vnquam aliàs contentione se dedit ad precandum Deum, vt cœlesti sua luce, quid in tanti momenti negotio facto opus esset, ostenderet. Multa per eos dies secum versauit animo, quorum partim à matre eius accepi, cui ipse exposuerat, partim nobis ipsemet, iam inita Religione, explanauit, cæterum in omnibus maiorem Dei gloriam secutus est, præterea nihil. A primo igitur, vt erat in seuera illa viuendi ratione, afflictationeque corporis admodùm deditus, inclinare animus visus est, vt se ad patres Discalceatos, qui in Hispania asperitate victus, habitusq; duritie Cappucinorũ Italiæ nomini, & auctoritati respondent, applicaret. & profectò aspectus ipse vilis, asperiq; cultus, siue secessu in sola nemorũ & Syluarũ loca, siue in vrbibus, egregijs sanctæ vitę exẽplis ornatus, vt, ferè assolet animis rei bene gerendæ cupidis non leue pręsidiũ, inuitamentũq; affert. Verũ ab hoc primo consilio post ea discessit, siue quòd cũ se infirma, pęnisq; crebrò iã sponte datis perturbata, ac debilitata valetudine esse sentiret, vereretur ne, si ferendo minus

esset,

esset, sui è Religiosorum numero eximendi, amicis caussam daret: siue quod sibi ieiunijs, verberationibus, alijsque corporis incommodis in ipsis aulis assueto procliue fore iudicabat, in qualibet pia familia, sine damno his ipsis insistere, aut etiam noua adiungere: præcipuè negante matre, quam de hac re consuluerat, fieri per infirmam eius valetudinem posse, vt vel in sæculo inter easdem, quibus adhuc se macerasset, pœnarum acerbitates, vel in austeriore aliqua religione diu vitam tueretur. Deinde verò reputare cũ animo suo cœpit facturusnè operæpretiũ esset, si familiam ingrederetur, in qua vetus disciplina iaceret, eamq; primùm in eo monasterio, quo esset receptus, ac pedetentim in vniuerso Ordine instauraret. id nimirũ è repub. Ecclesiæ fore videbatur. At contrà, non ausus tantum sua virtute confidere, vereri cœpit, ne si consilium minus procederet, sibi ipsi fraudi esset, ac dum alijs opitulari conatur, necessarijs se ipse præsidijs exueret. Satius igitur illi visum est etiamnum stantem, & veteribus institutis, disciplinaque subnixam religionem eligere. Eiusmodi cùm multæ in Ecclesia floreant, earum rationem minimè habuit, quæ, citra vllum contemplandi studium, totæ sunt in agendo, aliorumque solis corporibus benignè faciendo, quas sui

ſtomachi negabat eſſe. Secundum has, illæ ſuccurrebant animo, quæ penitus ab hominum ſocietate diſiunctæ in ſyluis, vel oppidis ſui duntaxat ſolicitę (cuiuſmodi sũt pleræque Monachorum familiæ) ſacris hymnis Deo concinẽdis, rebuſq; cæleſtibus vel legendis, vel contẽplandis perfecto Dei amori ſilentiò ſtudent. Atq; ab horum vita non modò erat alienus, ſed in ea etiam nõnulla voluntatis inclinatione propendebat. Quid enim? Qui in aulis Principum, inter hominum ſtrepitus, animum ſuum ab ijs ſeuocare, & in quiete collocare potuit, non eam facilius in religioſorum hominum domicilijs, procul à ſeculo, hominumq; commercio poſitis reperiret? Ille verò, qui non id modo ſpectabat, quod ad ſui animi quietem Deiq; gloriã faceret, ſed id perpetuò requirebat, num quid ad maiorem Dei gloriam valeret, ſentiebat in ſolitudine, creditum aliquod ſibi à Deo talentum, quod animarum ſaluti poſſet impendere, quaſi defoſſum nulli vſui fore. Ad hæc, vt nonnulli aſſeuerant, & nos deinde explicabimus, legerat in ſumma Theologiæ D. Thomæ Aquinatis Angelici Doctoris, primum inter Religiones dignitatis gradum eas obtinere, quæ ad docendum, concionãdum, ſaluti animorum conſulendum, labores ſuos, ſtudiaque conferunt. Quippequoniam

niam illæ non contentæ commentatione rerum salutarium, quæ commẽtando repererint, ad alios deriuant. Deinde, quod maximè accedunt ad similitudinem eius vitæ, quam filius Dei, norma, ac regula omnis perfectæ virtutis, in terris coluit. Neque enim ille semper in desertis locis Deo adorando, & contemplando vacabat, neque semper erudiebat suos, aut verba faciebat ad populum, sed inuicẽ modò montes, & sola loca petebat orandi Dei caussa, modò inde ad consuetudinem hominum descendens, rudes optimis ad æternam salutem præceptis imbuebat. Quapropter ALOYSIVS se ab otio, delitijsque cęlestibus, quibus in illo silentio, ac solitudine monasticæ religionis frui potuisset, velut à lacte sponte depulsum, in aliquam Sodalitatem se conferre decreuit, quæ mixtis, ac temperatis ex actione & contemplatione officijs intenta, ad studia literarum incumbat, & laborem cæteros mortales ad salutem, perfectionemque virtutis adducendi cum sui ipsius cura consociet. Sed cùm multi sint in Ecclesia cœtus hoc consilio coacti, qui in eo sanctè, suo quilibet proprio more, & instituto, versantur, cœpit singulorum rationes, præsidia, exercitationes, quibus

ad eum

ad eum exitum, qui ipsis prępositus est, pervenire conantur, inter se contendere. Postquam igitur de re tota diu multumque deliberarat, frequentesque ad Deum preces tulerat, placuit illi denique hanc minimam Societatem omnium nuperrimè exortam, deligere, quam & decretam sibi diuinitùs, & consilijs suis maximè opportunam esse censebat. Causas autem, quæ se in eam mẽtem impulissent, vt hanc Societatem cæteris Familijs anteferret, quatuor adducebat, easque magna sibi solatia dare prædicabat.

Causæ cur Aloysius Societ: Jesu. intrarit

Prima erat, quòd eius instituta, quasi integra adhuc ætate, neque vllis vnquam nouis moribus in peius mutata, salua, & intemerata hactenus vigeant. Altera, quòd in ea speciatim votum voueatur, quo potestas omnis Ecclesiasticas dignitates ambiendi, aut oblatas, præterquam interposita Pontificis Maxim. auctoritate, admittendi eripitur. Metuebat scilicet, ne si alicui piæ familiæ se adiungeret, quæ illas minus recusaret, inde aliquando amicorum voluntate extractus, ingratijs ad aliquem dignitatis in Ecclesia gradum eueheretur; quod, dum in Societate maneret, intelligebat non item illis sub manus posse succedere. Tertia, quia videbat multas suppetere Societati vias, ac rationes iuuentutem metu Dei, & castimoniæ præceptis imbuendi, tùm apertis bonarum literarum

teratum gymnasijs, tum pijs sodalitatibus constitutis. Qui enim in teneris illis plantulis colendis, omniq́ue tùm vitiorum gelu, tùm prauarum cupiditatum æstu ab ijs, piarum hortationum, sanctorumque mysteriorum præsidijs, defendendo elaboret, eum & prę clarè de Dei numine, ac maiestate mereri, & gratum ei, iucundumque inprimis facere putabat. Quarta, propterea quod Societas peculiari studio hæreticos ad Ecclesiæ Catholicę gremium reuocare, & Gentiles Indos, Iaponios, Americanos ad Christum traducere contendat. Quare spe ducebatur sibi etiam aliquando eam fortunam obuenturam, vt ad salutem hominum procurandam in eas oras mitteretur. Hac electione absoluta dedit operam beatus adolescens, vt quàm fieri posset certissimus de Dei voluntate. Instituit ergo hac gratia die quopiam beatissimę Virgini sacro, ad diuinam Eucharistiam accedere, vt eius commendatione, quid Deus fieri vellet edoceretur. Commodùm appropinquabat dies, ob eius in cęlos assumptę memoriam festus anno M. D. LXXXIII. ętatis ipsius XV. & dimidiato. postquam is dies aduenit, prima luce multum antè & diu precatus, atque inusitata diligentia præparatus, cœlesti cibo refectus est. Secundum hęc, cum maximè gratijs Deo agendis, obsecran-

lecrandoque per matris Virginis insisteret, vt se quid ipsi placitum esset erudiret, ecce tibi vox clara & manifesta allabitur, quæ ipsum religiosum in Societate Iesu fieri, & (quod ipse postea matri alijsque in Religione narrauit) id quamprimum suarum cõfessionum præsidi aperire iuberet. Certior de diuina voluntate factus domum redit, plenus lætitiæ, ac desiderij quamprimum illi morem gerendi, atq; eodem illo die patrem suum à confessionibus conuenit, rem vt gesta est, exponit, magnopere rogat, cum ijs, qui Societati præsunt, agat, vt sibi quantocyus aditũ ad Societatem patefacere velint. Pater, postquam huius consilij initia, progressusque diligenter excussit, ad extremum respondit: salutare quidem hoc consilium, & diuinitùs datum videri, sed, nisi Marchio pater annuisset, rẽ præstari non posse. neque enim illo repugnante patres Societatis filium recepturos. ipsius has esse partes, quid in animo haberet, patri exponere, & quà precibus, quà argumentis contendere, vt eius exequendi potestatem faciat. At ipse, cùm flagrans sui Deo consecrandi amor omnes moras abrumperet, illo ipso die matri se indicat. Illi hoc filij cõsilium tantæ voluptati fuit, vt de eo gratiã haberet Deo, eique læta libens ad exemplũ Annæ illum donaret, dedicaret. Ad hæc

prima

prima Marchionem re certiorem fecit, atque exardescentem, audito hoc inexpectato nuncio, eius indignationem leniuit. neque postea vnquam intermisit in hoc ei negotio fauere, adiutrixque esse. Quapropter Marchioni, quem latebat quàm accenso studio coniunx filium aliquem Deo religiosè seruientem optaret, suspicio cœpit esse, illam priuato in Rudolphum amore ferri, atque vt hic in paterni principatus hæreditatem veniret, illum Religione alligari velle. Neque ita multò post ipse ALOYSIVS quàm submisse, ac reuerenter patrem adit, eique confidenti animo, & apposita oratione denunciat, consilium sibi esse reliquum vitæ in Religione consumere. Ad hæc Marchio ira inflammatus, multis duris, asperisque dictis increpitum facessere iubet, insuper minatus se denudatum, accipi verberibus mandaturum. Cui modestè ALOYSIVS: *Vtinam*, inquit, *eo me Deus beneficio dignetur, vt istuc eius amore perferam*. hoc dicto abscessit. Marchio graui dolore saucius, conuersa in patrem, qui confitenti dabat operam, quamuis absentem iracundia, ea dixit ac fecit, quæ perturbata mens, ac præceps animi affectio suadebant, neq; aliquot deinceps dies vllam quietis partẽ cepit. tàm luculentam rebus suis plagam

inijci

inijci, tamque insigne damnum dari, hoc filij proposito, sentiebat. Aliquot pòst diebus accersito domum patre, quo ad expiãda peccata filius vtebatur, vehementer cum eo expostulauit, questusq; est, quòd filium suæ stirpis primum, in quo spes omnes suæ domus inclinatæ recumberent, in hãc mẽtem impulisset. Pater respondit, paucis antè diebus ALOYSIVM, se huius sui consilij participauisse, ipsumque id testari posse. cæterum facile ex vita, quam instituisset, suspicatum se esse, fore vt tale aliquando consilium caperet. Tum mitior iam Marchio ad ALOYSIVM, qui astabat, conuersus ostendit minus erraturum fuisse, si aliã quampiam religionem sibi delegisset. Cui ita sapienter ALOYSIVS respondit, nullũ vt Marchioni contradicendi locum relinqueret. Id ex epistola Patris à confessionibus, quam suprà laudaui, cognosci licet, in qua sic de ALOYSIO verba facit. *Circa cõsilium ineundæ religionis datum illi diuinitùs, duo digna consideratione euenerunt. Nunquam equidem illi de eo mentionem feci, semper tamen id quod deinde consecutũ est, ex ipsius moribus præsagiebam animo. Postea verò, die Matri Dei in cœlos assumptæ sacro, cùm, vt crebrò solebat, Pœnitentiæ & Eucharistiæ mysterijs dedisset operã, à meridie mihi nunciatum venit, se cùm inter illas diuinas epulas Deum, allegata ad eum Beatissimã*

tißima Virgine, eſſet obteſtatus, vt quodnam ſibi ab ſe genus degendæ ætatis conſtitui vellet, oſtenderet, claram ac manifeſtam vocem audiſſe, qua iuberetur in Societate Ieſu Religioſa inſtituta complecti. Deinde Marchio pater eius, cùm vehementer hac filij voluntate angeretur, & tamen in eatam conſtantem cerneret, illum me præſente, ſic allocutus eſt. Mallem equidem, fili mi, aliam tibi potius quàm hanc Religionem delegiſſes. Non enim tibi defuiſſet alicuius dignitatis obtinendæ locus, qua noſtræ familiæ ſplendorem adiuuiſſes; qua in Societate, quæ honores omnes repudiat, perpetuò tibi carendum eſt. *Atqui,* reſpondit adoleſcens, *vna è cauſsis, ob quas Societatem alijs religioſis familijs antetuli, hæc ipſa fuit, quod optarem omnem ambitioni aditum intercludere. Quòd ſi dignitate vlla delectarer, fruerer ſanè Marchionis titulo, quem mihi Deus, quippe primogenito, largitus eſt, neque incertum cum certo commutarem.* Hæc ſunt epiſtolæ verba. Patre à confeſſionibus digreſſo Marchioni de hoc filij facto aſſiduò cogitanti in mentem venit ſuſpicari, ALOYSIVM dedita opera hanc excogitaſſe rationem ipſius à luſu deterrendi, cui, ſupra quam credibile eſt, erat deditus; nam & paucis ante diebus aliquot millium ſcutatorum ludendo iacturam fecerat. & illo ipſo veſpere, quo ſuum illi animum

Ludouicus detexit, alijs sex scutatorú millibus luserat. Quæ sanè ludendi libido tanto stomacho Ludouico erat, vt sæpe patre maximè lusionibus astricto, in cubiculum, ipsius deplorandi, sese reciperet. cubicularijs item suis, aiebat, se non tàm damno, quod Pater faceret, quàm iniuria qua Dei numen afficeretur, commoueri. Itaque non videbatur de nihilo patris suspicio. Neque verò illa solum Marchionem, sed omnes etiam ferè, qui versabantur in regia mouerat, qui comperto quid Marchioni negotij esset cum filio, ALOYSII prudentiam in cœlum ferebant, qui maioris detrimenti metu patrem à ludo reuocare tentasset. Sed cùm ille firmatus animi, & propositi sui tenax, quotidie contendere insisteret, vt sibi copia fieret, quod instinctu diuino iuberetur exequendi, profitereturq; id vnum se spectare, vt Deo Optimo Maximo seruiret, Marchioni tum maximè in memoriam eius vitæ, quam ab ineunte ætate, Angelicum in modum, in perpetuo rerum piarum studio egisset, redeunti, persuasum tandem est, seriò filium loqui, diuinoque afflatu hanc ei mentem iniectam esse. Fidem Illustrissimi ac Reuerendissimi Patris, Fratris Francisci Gonzagæ Ministri Generalis Patrum Franciscæ

ciſcanorum Obſeruantiũ, qui Marchioné conſanguinitate, & neceſſitudine maximè attingebat, auctoritas, qui cum per idem tempus inſpiciendis ſui Ordinis in Hiſpania prouincijs diſtineretur, atq; Marchionis iuſſu vnam & alteram horam in ALOYSIVM accuratè inquiſiſſet, vſq; eò in eius reſponſis acquieuit, vt Patri renunciaret, dubitari nefas eſſe, quin hæc ei mens data eſſet diuinitùs. Ac tametſi planè intelligeret Marchio, quonam filiũ Deus vocaret, non tamen animum iuducere poterat, vt eius poteſtatem illi faceret, ſed eum, dum licebat, verborum blanditijs detinebat. Hoc animaduerſo Aloyſius morarũ impatiens, poſtquã Iacobo principe febri ſublato, cui cũ vniuerſa regia cohorte, iuſta funebria in Eſcuriali perſoluerat, neceſſitate ſeruiendi aulæ perfunctus erat, aſtu quodam explorare decreuit, an ſua ſibi conſilia procederent. Ergo cùm aliquando ad Patres Societatis Ieſu veniſſet, fratrem ſuum minorem Rudolphum, cæteroſque familiares, qui vnà aderant domum redire iubet, ſibi enim ibi morari neque amplius pedem domum referre conſtitutum eſſe. Illi cùm eum obſtinato animo, neque ſimulatè agere viderent, domum diſcedunt, atque ad Marchionem podagra tum fortè conflictantem de re tota

referunt. Is Salluſtium Petrocenum Doctorem, domo Caſtilionenſem, Auditore ſuum, ad eum allegat, ac domum reuerti iubet. Reſpondit ALOYSIVS, quod cras futurum eſſet, id hodie confici poſſe. iucundum ſibi eſſe in eo loco commorari, orare patrem ne eam ſibi voluptatem inuideat. Hoc accepto reſponſo cenſuit Marchio, non eſſe è ſua dignitate rem ſic tranſigi. daturum alioqui ſermonem vniuerſæ regiæ familiæ. miſſo igitur eodem homine, inſtat vt redeat: paruit ille, ac redijt. Alio die in ſermone cum Patre Generali Gonzaga, quem ante nominaui, per cognationem, amicitiamque communem eum orauit Marchio, vt quando ſatis intelligeret, quantum talis filij iactura, qui tanta ſapientia ac religione ſuũ populũ moderari poſſet, ſuæ ditionis rationibus aduerſetur, eum à conſilio amplectendæ religionis dehortari, ac perſuadere vellet, in ſeculo etiam ſuo gradu inſiſtentem Dei honori ſeruire poſſe. Cui ita reſpondit Generalis, vti gnoſci ſibi poſtularet, ſi minùs eius voluntati morem gereret, neque enim id vt cum inſtituris eius vitæ, quam profiteretur, neque officio hominis Chriſtiani congruere. Vrget Marchio: at ſaltem, id cum eo agat, ne in Hiſpania Religionem induat, ſed ſecum, quod propediem futurum eſſet,

esset, renauigaret in Italiam. Ibi polliceri, se eum voti compotem facturum. Pater Generalis, qui memoria tenebat se, cùm in eiusdem Regis Catholici Regia animum ad Sancti Francisci Familiam appulisset, parentibus, multis in dissuadendo verbis frustra consumptis, ipsum eo consilio in Italiam reducere conantibus, quò deinde eius proposito labefactando omnes machinas opportunius admouerent, parere noluisse, sed in Hispania habitum mutasse, negauit Marchioni vel hoc officium satis tutò præstari posse, seque id sibi religioni ducere. neque tamen se facturum negauit. Secundum hæc, ALOYSIO tum quid Marchio postulasset, tum quid ipse respondisset enarrauit, adiunxitque religiosum sibi esse hæc ad eum patris mandata perferre, etiamsi ille in Italia plenam se facultatem concessurum esse promitteret. Adolescens, qua erat facilitate, Generali respondit: se verò perquam libenter, hac quidem in re, parenti gratificaturum, neque id sibi molestum esse, qui omnia, quæ euenire possint, prouiderit, sibique ita in eo quod concepisset animo firmus, ac stabilis videatur, vti, Deo auxiliante, ab eo nulla vi dimoueri possit. Itaque nihil sibi metuendum accidere posse. Pater Generalis Marchionem de omnibus erudijt,

dijt, atque ita denique confecta res est, vt alter alterius voluntati concederet.

CAPVT NONVM.

REVERTITVR IN ITALIAM: consilium eius variè oppugnatur.

ANno M. D. LXXXIV. cũ Ioannes Andreas Auria nuper à Rege Catholico, mari cum summa potestate præfectus, cum triremibus in Italiam cogitaret, visum est Ferdinando Marchioni se, coniugem, filios, cõdem ijsdem nauibus deportare. cum inibi esset vt conscenderent, P. Gonzaga Generalis, iam suis lustrandæ familiæ, alijsque, quæ in Hispania habebat, negotijs perfunctus, comitem se illius nauigationis præbuit. Non satis possim explicare dicendo, quam lætam sibi propitiamque fortunam tulisse existimaret ALOYSIVS, vt tanti patris societate frueretur. in quem quoties conijceret oculos, egregium sibi videbatur religiosæ vitæ, seuerioriſque disciplinæ specimen intueri. Ac mihi postea memorauit, se quo eius exemplis proficeret, mores eius, actione[s]

que

que singulas perdiligenter attendisse, talemque comperisse, qui Generalis Obseruantium nomen, ac munus magno virtutum numero, illustribusque ad exemplum viuendi institutis, præclarè tueretur. Porrò in quam veram certisque nixam rationibus opinionem de hoc viro ALOYSIVS eo itinere venerit, clarius etiam enituit, postquam ille primùm Cephaloëdis in Sicilia, ac nouissimè Mantuæ Episcopus est renunciatus. Iam enim religiosè sanctèque in eo dignitatis gradu semper est versatus, vti iam inter omnes notos, eiusque consuetudine aliquando vlos constet, eum priscorum Episcoporum sanctitatis gloria præstantium vestigia insistere, ac merito suo omnibus, qui è religiosis familijs ad Ecclesiæ magistratus euehuntur, proponi posse ad imitandum. Quod pluribus demonstrarem nisi tanti Antistitis, qui dum hæc scribo etiamnum viuit, modestissimum, ac perquàm de seipso demissè sentientem animum offendere vererer. Talis viri consuetudo probitate, innocentiaque affluens iucundam admodum, ac breuem ALOYSIO eam nauigationem reddidit, dum vel de varijs librorum diuinorum locis, vel de puriotis vitæ in-

institutis inter se disserunt, Aloysio patrem de ijs quæ in eo genere difficultatem habere videbantur, consulente. Italiam attigerunt mense Quinctili eiusdem anni, cùm ALOYSIVS quartum mensem supra annum sextum decimum viuendo viciſſet. Sperabat ALOYSIVS se, quamprimum Marchionis patris sui voluntate, animo suo obsecuturum, ac proinde id flagitare non desitit. At Marchio negauit, se id priùs posse permittere, quàm vnà cum fratre suo Rudolpho omnes Italiæ Principes, ac Dūces suis verbis salutatum iuisset. proinde itineri sese accingeret. Id eo consilio faciebat, quòd speraret illud Religionis sectandæ studium sensim posse hebescere. Dedit ergo se in viam ALOYSIVS cum fratre, numerosoque comitatu, atque omnes ex ordine Italię magnates officij causſa conuenit. Incedebat Rudolphus, qui necdum omninò è pueris excesserat, splendido vestitu, atque ad eius dignitatem, vt videbatur, accommodato: ALOYSIVS verò pro sua modestia, simplici habitu ex atro panno, quem saiettam vulgus nominat, vtebatur, omnem semper inanem elegantiam aspernatus. Nam cùm ei Marchio vestes phrygianas tàm exquisito apparatu faciendas locauisset, vt vndique auro coopertæ vide-

viderentur, quibus ornatus Infantem Hiſpaniarum, Ducis Allobrogum coniugem, honoris cauſſa adiret, nunquam deinde, poſtquam pedem in Italiam intulit, adduci potuit, vt vel ſemel eas ſibi indueret. Caſtilione item aliquando euenit, vt feminalibus vteretur oppidò laceris, quæ ne à ſuis cernerentur, ac melioribus mutarentur, pallio cõtegebat; ſed fuit cùm ſcalas aſcendens, dum elapſam ſibi coronam precatoriam, humo tollit, notaretur à moderatore, tam obſoletis feminalibus tectus, vt nõnullibi nudã cutem oſtenderent. tum ille: *Domine* ALOYSI, inquit, *quid tandem agis? tibi tuoq; generi pobrote eſſe non ſentis?* Nec mora. his demptis, alia induere iubet. Ipſe veritus, credo, ne rem ad Marchionem perferret, contrà nihil hiſcere eſt auſus. In itinere cùm eſſet vel precibus Deo recitandis, vel eius rebus meditandis animum aſſiduò occupabat, neque ſtata ſua ieiunia, neque veſpertinas orationes vnquam intermittebat. Simul hoſpitium attigerat, in quodpiam ſe ſolitarium conclaue ſeducebat, atque aliquam, ante quam precaretur, Chriſti cruci affixi imaginem veſtigabat; ſi nulla erat ad manum, carbone, aut atramento crucem ſibi pingebat in charta, atq; ante eam procumbens in genua, vnam vel plures horas comprecando, ſuæq́ue in Deũ

pietati indulgendo ducebat. Vbi ad oppidum aliquod deuenerat, in quo Domus esset, aut Collegium Societatis, defunctus Principum salutationibus, è vestigio Patres visebat, & collegium ingressus, ante omnia rectà in ædem sacram se conferebat sacrosanctæ Eucharistiæ salutandæ, ac deinde, dum tempus ferret, familiaribus Patrum collocutionibus fruebatur. Dum ad Ducem Allobrogum officij causa adit, duo memoratu digna acciderunt. Alterum, cùm Augustæ Taurinorum diuersaretur, in ædibus viri Illustrissimi Hieronymi Roborei propinqui sui, qui deinde in senatum purpuratorum patrũ allectus est, atque in conclaui quodam esset vnà cum multis nobilibus adolescentibus, senex septuagenarius, qui forte aderat, cœpit nonnullos parum pudicos sermones interiacere. Id nimirũ ALOYSIO bilem mouit, ergo, insigni libertate, sic hominem aggreditur, *Ecquid*, Domine, *pudere oportuit hominem tam grandi natu, hisque vel naturæ vel fortunæ dotibus, quibus tute praeditus es, in cœtu horum nobilium adolescentum de hoc genere rerum loqui? Hoc verò est periculum peccati injicere, & malo exemplo esse. ita enim* D. *Paulus: corrumpunt bonos mores colloquia praua*. Hoc dicto, atque libello pio in manus sumpto, quò se of-

se offensum ostenderet, ex illo grege, in aliud conclaue se proripit. Ita seni illi incussus pudor, reliquis pudicitiæ exemplum est præbitum. Alterum fuit, quòd cum Hercules Tanus eius auunculus, de eius Augustam Taurinorum aduentu certior factus, eum salutatum veniisset, magnopereque rogasset, vt suos propinquos videndi, eisque omnibus gratificandi caussa, Cherium, quò nunquam adhuc venerat, vnà cum fratre concedere dignaretur, ipse inuitanti obsecutus eò iter petierit. Verùm cùm his principibus suis nepotibus cohonestandis, idem Hercules epulum apparasset, in quo, vt assolet, etiam saltandum erat, ALOYSIVS principio omni conatu agere ne interesset, deinde multorum precibus fatigatus, qui causabantur, hanc omnem celebritatem eius respectu, atque hilaritatis, ob eius aduentum significandæ instituram esse, passus est se in conclaue deduci, in quod magnus virorum feminarumque nobilium numerus conuenerat, cùm antè denunciauisset, affuturum se quidem, saltare autem, aut quid aliud facere nollæ. idque conuenit. Vix assederat cùm surgit vna de nobilibus illis fęminis, eumque ad saltationem inuitat. Ea re commotus, ne ver-

ne verbo quidem dicto, quasi necessitate aliqua compulsus, ex eo loco se educit, neque amplius pedem retulit. Non ita multò post Hercules eum quęsitum frustrà egressus, ad postremum, cum aliud agens per famulorum domicilium transiret, videt ALOYSIVM abditum in angulum inter lecticam ac parietem, submissis genibus precantem. quam rem admiratus, nõ sine profectu ad virtutem, nihil interpellare ausus, missum eum fecit. Perfunctus salutationũ officijs, confisus Marchionem staturum promissis, ac ibi missionem daturum, Castilionem reuertit. Sed nimirum longè hæc eum spes fefellit. quippe ille, ne verbum quidem de eâ re ad aures admittebat, quinimò, quando animum nullo modo inducebat, hanc bono consilio ac non iuuenili quodam impetu, quem dies ipsa fractura esset, voluntatem esse susceptam; omni ope, atque industria adolescentem à primò instituto dimouere nitebatur. Alij præterea viri luculenti, quibuscum ipsi magna necessitudo erat & gratia, improuisis eius animum nec opinatis viribus sunt adorti. Atque inprimis Guilielmus Mantuanorum Dux, qui ALOYSIVM præcipuo semper amore dilexerat, Episcopum quendam disertũ hominem, Castilionem, vbi habitabat, ad eum allegauit, qui suis verbis

verbis ei denunciaret; Quando solutiorem hanc, profanamque vitam fastidire videretur, at in eorum saltem classe consisteret, qui fortunæ commoda minimè aspernãti, Ecclesiæ muneribus funguntur. Maiorem in hoc, quam in eo, quem Religiosi sequãtur, viuendi genere, ad res præclaras pro Dei gloria, hominumque vtilitate gerendas facultatem suppeditari. Non enim maiorum memoria, neque nostra defuisse viros sanctitate præstantes, in quorum numero censebat Carolum Borromeum Cardinalem illustrissimum, qui cùm à sustinẽdis Ecclesiæ negotijs minimè refugissent, plus illi quàm multi mancipati cœnobijs homines profuerint. Ad extremum operam illi omnem suam, & fauorem ad aliquem huius generis honorem consequendum pollicebatur. Episcopus magna dicẽdi vi, accommodatis ad persuadendum rationibus partes suas præclarè egit. At ALOYSIVS postquam prudenter respondérat ad singulas, obnixè illum orauit, vti Duci pro perpetuo eius in se amore, quo item impulsus sua nũc sibi studia tam prolixè profiteretur, magnas gratias ageret. Se quemadmodum cæteris se præsidijs ad honores, quæ ex sua gente potuerit petere, sponte nudasset, ita hoc etiam se adiumentum, quod tàm copiosè sibi à Duce offerretur,

tur, illi libenter remittere. Sanè ad optandam Societatem vel ea potissimum ratione perductum esse, quod illa omne hoc honorum genus repudiet. Sibi enim certũ esse, nihil dum viueret, in suo ære præter Deum, habere velle. Alterum in ALOYSIVM impetũ fecit Alfonsus eius patruus, cui in ditionem Castelli Godefredi succes-surus erat, qui cum multa similia atq; dux proposuisset, similia itẽ tulit respõsa. Alius item ex eadem Gonzagarũ familia magnæ vir auctoritatis, multis ad eius infringendũ propositum allatis, eò tandem flexit vt de Societate detraheret, auctorque illi esset, vt quando seculum fugeret, præterita Societate, quæ in eius medio versetur, ad Cappucinos, Carthusianos, aut aliam familiam migraret, ab his occupationibus remotam. Crediderim equidem ea mente hæc ab illo dicta esse, vt si ALOYSIVS de voluntate sequendi, quod delegerat animum demutasset, eius inconstantiæ insimulandi, totius illius consilij peruertendi locum haberet. At certè, quod magis deinde in facili fuisset, à cæteris eum Religiosis familijs, quippe quibus propter virium, & valetudinis imbecillitatem par esse non posset, eum absterrere. Aut denique, quod ex cæteris familijs facilius ad aliquem dignitatis in Eccle-

Ecclesia gradum educi posset. Ad hæc ALOYSIVS breuiter respondit, se quidem minimè intelligere quanam alia via, quàm Societatem ineundo longius se à mundi rebus posset disiungere. Si enim mundi nomine diuitias significare velit, in Societate, vbi nemini proprium quicquam habere fas sit, accuratum paupertatis studium vigere. Sin verbo mundi titulos honoris ac dignitatis subijceret, ad eos item Societati suscepto voto, quo se neque prensaturos, neque delatos ad se (quod à compluribus Regibus, atque Principibus sæpe factum est) honores, nisi imperante pro potestate Pontifice, acceptúros esse profitentur, iter obstructum esse. Ita & virum illum illustrem tacere compulit, & cæteris ad quos rei fama manauit, satis ostendit, eam sibi haustam diuinitùs sententiam stare. Alios præterea ad eius animum tentandum, atque inprimis Ioannem Iacobum Archipresbyterum Castilionensem, cuius apud ALOYSIVM grauis erat authoritas, submisit Marchio, qui illi suaderet ne Marchionis insignia patriæq; gubernacula recusaret. At ALOYSIVS tanto argumentorũ pondere hominem oppressit, vt ille deserta patris legatione, pro filio niteretur, atq; eius animum à Deo, ad res mortales missas faciẽdas, instinctum

ctum esse, probare Marchioni studeret. Ac fuit tam præclara eius de ALOYSIO opinio, postquam ille suorum eum arcanorũ participem fecit, nunquam vt postea vllum prædicandæ eius sanctitatis finem fecerit. Parum verò Marchioni fuit tanta industria oppugnasse filium. Virum insuper Religiosum ante alios sibi amicum, qui tum insigni in concionibus eloquentiæ fama florebat, ac postmodum Ecclesiæ cuiusdam antistes factus, in eo munere naturæ cõcessit, etiam atque etiam orauit, vti sua causa filiũ omnibus viribus adortus ab incœpto deterrere vellet; Ille non tàm voluntate, quã quòd Marchionis mandatum defugere nõ auderet, id muneris in se susceptum quanta potuit contentione, & eloquentia gessit. sed nimirum operam lusit. ergo cùm postea Cardinali cuidam præcipui nominis, adolescentis constantiam dilaudaret, his ferè vsus est verbis: *Diaboli partes apud hunc adolescentem agendas mihi imposuerunt. eas, quia necesse erat, quanto potui studio, & ingenio sustinui. verùm nec hilum profeci: stat immotus, & inconcussus: percelli nequit.* Marchio ratus tot oppugnationibus minimum inclinatum esse ALOYSII animum, cùm podagra laborans lecto teneretur, explorandi caussa eum accitum ad se, percunctatur: Quid tandem ipsi nunc sit animi? Ille reueren-

uerenter quidem, sed tamen disertè respõdet. In animo sibi esse, ac semper fuisse, in ea, quam dixisset, Religione, Deo seruire. Hoc responso vehementer incensus Marchio minaci vultu, aculeatis verbis, eripere se è suo conspectu iubet. ALOYSIVS, hoc dictum, imperium interpretatus, secedit in cœnobium S. Mariæ cognomento Fratrum Franciscanorũ, quibus à soleis ligneis vulgus nomen fecit, primo à Castilione lapide. Iacet hoc cœnobium secundum elegantem iucundumque lacum, quem aquæ ex amœnis illis collibus labentes, artificiosis obiectaculis coërcitę efficiunt; exstructum eo loci, quem olim in pretio habitum fuisse, fidem etiam faciunt tum quædam cryptoporticus antiquo opere tessellato ornata, tum scatebra salutarium aquarum, quæ per subterraneos canales vetusto itẽ opere affluunt, ac sub domicilium, quod ad suum liberumque suorum secessum Ferdinandus Marchio ædificauit, emicant, atq; prorumpunt in peruenustum fontem. In hoc domiciliũ semigrauit B. ALOYSIVS, quò cùm lectum, libros, cæterumq; cubiculare instrumentum apportari mandasset, vitam instituit ab hominum oculis longè remotam, crebrius in die flagris in se animaduertere, tempus omne precibus conterere, cùm interea nemo hæc, ne grauiore

iracundia cõmoueretur, ad Marchionem deferre auderet. Cis aliquot dies Marchio, quem podagra adhuc lecto affixum tenebat, sciscitatus est, Quid ALOYSIO factum esset? vbi cognouit illum in eo, quem dixi, Monasterio versari, cõfestim reuocari iubet atq; in cubiculũ accersitũ multis acerbè dictis onerat, ac reprehendit, quòd suo iniussu, quò, vt aiebat, maiori se cõtemptu irritaret, domo egredi esset ausus. ALOYSIVS sedatè & reuerenter; se verò, respondit eò abijsse, quod se ei mandato quo se è suo conspectu auferre iussus esset, obtemperare crederet. Perrexit Marchio plures in eum verborum terrores, minasque iactare, ac denique in sua se conclauia recipere iubet. tum ALOYSIVS, *Quia sic iubes inquit, vado.* Cubiculum ingressus, clausis foribus, ante Christi crucifixi imaginem, supplex Deo accidit, atque ibi constantem, fortemque in tam aduersis rebus animum postulanti vbertim fluere lachrymæ. lachrymas diuturna sui verberatio consecuta. Interea loci Marchio in cuius pectore naturalis in filium amor, cum conscientia pugnabat, quoniam & Dei numen violare metuebat, neque tamen sibi imperare poterat, vt tam caro, scitoque filio se ipse orbaret, veritus ne tam acerba obiurgatione esset turbatior, facti prope pœnitens,

Præ-

Præsidem oppidi, qui in procœtone opperiebatur, accitum explorare iubet, quid rerum agat ALOYSIVS. Is in cubiculi vestibulo cubicularium offendit, qui homini denuntiat, ALOYSIVM obserata ianua, se interpellari vetuisse. At Præses cùm sibi negotium datum esse diceret à Marchione, vt quid ille ageret, obseruaret, accedit ad ianuam, ac se excluſum sentiens, eam inter rimas pugione modicè perforat. Hac aspicit ALOYSIVM nudato tergo coram crucifixi effigie, nudis item genibus nixum, lachrymantem, atq; in se verberibus sæuientem. Commotus hoc spectaculo Præses, & quodam pietatis sensu mollitus, manantibus per ora lachrymis ad Marchionem redit, negatsque eum amplius ALOYSIVM à Religione, cui se addicere destinasset animo, reuocare, conaturum; si quid ille rerum gerat, aspiceret. Interrogatus quid tandem vidisset, & quid ita fleret: se verò ea vidisse respondet quæ nemo intuens à lachrymis temperare possit. simul rem omnem Marchioni attonito, vixque homini quod diceret credenti, denarrat. Postridie eadem hora, ex composito, quid gereretur certior factus, in sella ad eius cubiculum, quod in eadem cum suo contignatione positum erat, se deferri iubet, ac per foramen, quod

iam patebat, filium denuò plorantem, & pœnas spõte exsoluentem videt. Huius rei aspectus sic permouit hominem, vt aliquádiu inibi stupore defixus, & quasi alienata mente staret. Postmodum verò re dissimulata strepitũ fieri, & pulsari fores imperat, Dehinc ingressus cum cõiuge, pauimentũ cõpluribus è verberatione, sanguinis guttis respersum, & locum, quem genibus presserat, lachrymis, quasi affusa aqua permadentem offendit. Hoc spectaculũ, & quotidianæ preces, quibus ei instabat filius, tandem perpulerunt, vt ei licentiam dare quod optabat exequendi, animum induceret. Ergò scriptis Romã litteris, Scipionem Gonzagam virum Illustrissimum, qui tum quidẽ erat Patriarcha Hierosolymorum, deinde verò Cardinalis creatus est, rogat, vti suo nomine filium suum natu maximum, hoc est, vt ipse aiebat, rem omnium sibi carissimam, & in qua maximas spes suas cõstituerit, Præposito Generali Societatis IESV, qui iam id temporis erat P. Claudius Aquauiua Ducis Adrianorum filius, offerre dignaretur, & simul exquirere, quonam eum ad ponẽdum Religionis tyrocinium proficiscí vellet. Respondit Præpositus Generalis, quod tale negotiũ poscere visum est, ac tyrocinio multis de caussis nõ aliam sedem, quàm Romam designandam esse censuit.

fuit. Hic tàm optatus nuncius incredibili gaudio ALOYSIVM extulit, neque se tenuit, quin per litteras de tanto beneficio Patri Generali immensas gratias ageret, &, quasi paria magnitudini affectus verba nulla reperiret, se denique totum ei daret. Pater Generalis incensis tanto pietatis sensu litteris mirifice lætus, rescripsit se eum in filium accipere, & prœstolari. Secũdum hæc, de abdicatione insignium Marchionis, quæ, vt alibi dictum est, nominatim ipsi à Cæsare pridem decreta erant, agi cœptum. Marchioni igitur optanti, vt ijs Rudolpho alteri natu fratri cederet, libenter assensus, vt maturaretur vrgebat, ipsisq; qua vellent verborum formula abdicationis tabulas perscriberẽt, permittebat. Quicquid in ea re Marchioni visum esset, sibi volenti fore, dum, re quamprimum confecta, ipse rebus omnibus mortalibus solutus, ad religionem euolaret. Confectæ ergò sunt tabulæ ea formula, vt ALOYSIVS omni paterna ditione, & clientelaribus opibus, quæ ad eum hereditate venirent, se abdicaret, atq; ex omni copia, in præsenti quidem duo scutatorum millia, quibus pro libitu vteretur, in numerato: in posterum verò, dum viueret, in singulos annos quadringentos scutatos sibi haberet. Hæc formula, postquam, ne quid in ea ambiguum,

aut liti opportunum resideret, tum variis iurisconsultis, tum Senatui Mediolanensi inspicienda data est, ad extremum in Regiam Cæsaris est transmissa, sine cuius auctoritate, quòd omnis horum Principum ditio libera, iure optimo ac Cæsareo est; hæc transcriptio fieri nequibat. Cæterum, vt Cęsar eius author fieret, plurimum contulit Leonora Austria Mantuæ Dux, cuius opem, quam præstare poterat, & verò in hoc negotiorum genere velle solebat, enixè ALOYSIVS implorarat. Quòd verò in hac etiam caussa operam suam nauarit, memoriæ proditum est in eius vita, quæ typis est mandata, in cuius libro tertio, capite quinto, hæc leguntur. *Acciderat, vt adolescens quidã illustrissimus, suæ stirpis maximus, & Marchio, instinctu diuino fortunæ bonis, nequicquam hominibus contra nitentibus, se exueret, pararet. huic cùm ante necessariò à Cæsare obtinendum esset, vt sibi clientelari ditione fratris suo natu minori cedere liceret; Leonora, ad quã ille confugerat, caussa omni diligenter expensa, atq; eius, qui se fortunis expedire cupiebat, indole comperta, non solum illi stimulos addidit, vt vocanti se Deo morem gereret: verùm etiam litteris ad Rudolphum Imperatorem nepotem suum accuratè scriptis, quod poposcerat, perfecit. Inde factum est, vt huic tam sancto desiderio adolescens obsecutus paucis post annis*

vita functus, eo quem tenuerat, sanctè viuendi cursu, ad fruendam cœlestium felicitatem delatus sit.

CAPVT DECIMVM.

MEDIOLANVM NEGOTIOrum causſa mittitur, & quæ ibi sint gesta.

MArchioni, dum expectatur donec abdicationis Cęsar author fieret, interea grauia quædam negotia Mediolani inciderunt, quibus cùm ipsimet podagram intereſſe non liceret, ALOYSIVM, cuius prudentiæ, atque iudicio plurimum confidebat, mittere decreuit. Neque sanè fallebatur. Etenim cùm multa illi negotia cũ pluribus principibus à patre sint imposita, omnia egit & confecit ex eius animi sententia. Profectus ergo Mediolanum ad exequendum patris imperium, octo nouemve menſibus, quibus ibi morari coactus eſt, res illas, quamuis difficiles atque perplexas tanta prudentia, ac dexteritate geſſit, vt ad optatum patri exitum peruenerint. Neque verò non ipſemet etiã aliquem huius temporis fructum cepit. Abſolutis ſiquidem, vt ante diximus, in Hiſpania Logicæ ſtudijs, Mediolani, in Collegio Brerano Societatis IESV, rerum

Naturalium scientiam persecutus, vt erat perspicaci ingenio, acriq; iudicio, non mediocres in ea progressus fecit. Antemeridianis quotidie, pomeridianisque scholis intererat, à quibus, si quando illum negotia impedirent, id quod interea traditum erat à Magistro, quò domi deinde posset ediscere, exscribi iubebat. Disputationes non modò vt auditor, sed etiam vt pars, vel propugnandis suis, vel alienis oppugnandis ad exemplum æqualium celebrabat. Porrò siue quid ille argumentis probare siue refellere instituisset, sicut in eo mirum semper enitebat acumen ingenij, ita modestia tam singularis, vt quod eius magistri testimonio constat, neque in gestu, neque sermone vllum iuuenilis licentiæ vestigium appareret. cuius gratia omnes eum in sinu atq; oculis ferebãt. Adhæc Mathematico quotidie vnam scholam in eodẽ collegio explicanti ita dabat operam, vt quoniã eam ille non dictabat, ipse, ne paullatim obliuio surreperet, simul domum redierat, Cubiculario cuidam suo tũ prõptè, dilucidè, feliciter dictaret de memoria, vt cũ Cubicularius ille, qui tũ librarij munere est functus, illa aduersaria, quæ etiamnum instar sacrarum eius reliquiarũ cõseruat, Castilione mihi ostenderet, satis mirari nequiuerim, nullam eum demon-

strа-

stratione vnquam fugisse, non commutasse numerum, non mensuram, non rationes, non punctum, non lineam, nullum denique eorum vocabulorum, quibus pænè proprijs huic disciplina illa scripta abudãt, præterijsse. Itabat ad gymnasium permodestè, vestitu è panno Florentino atro, quẽ rasciam vocant, nullo accinctus ense, tacitus, nullo etiam cum proximis assectis sermone, ac ferè pedibus, etsi domi equorum copia suppeteret. Ludus, & auocamentum eius, dum Mediolani versatus est, vnũ fuit, cum Patribus Societatis Iesu consuescere, magnamq; eius temporis partem, quod illi ab occupationibus supererat in collegio, modò cum hoc, modò cum illo Patre, de literis, aut pietate conferendo, consumere. Obseruauit eius in Philosophia Magister, tanta eum reuerentia, significationeq; obseruantiæ cum omnibus religiosis viris, & ijs qui in ciuili, aut Ecclesiastica dignitate essent positi, loqui solitum, vt deiectos semper teneret oculos, neque, nisi perrarò, ad eorum vultus aspiceret. Neque verò in sacerdotum solum, aut eorum, qui literarum studia æmulantur, sed in eorum etiã, quibus domesticarum rerum administris vtimur, ac præsertim ianitoris familiaritate libenter versabatur. Ac si hic quandoq; interea ianuæ illi claues permitteret, dum

ipse quempiã patrũ accerseret, in eximij beneficij numero ponebat. nimirũ sibi se tantisp de eadẽ Societate esse, spõte adscito errore, persuadebat. Quoniam verò non erat nescius feria quinta quot hebdomadib', in quas festus dies nullus incideret, Patres eius Collegij, exercitandis corporibus, animisq; à studiorum contentione remittendis, in villam quandam, cui nomen Ghilolfæ sesquimilliari ab vrbe, extra portã Comasinã egredi solere: ipse prima luce in eã regionẽ profectus, famulis aliquãto interuallo à tergo relictis, tantisper aut inambulans librum aliquẽ asceticũ, aut vernis mẽsibus intiftẽs violas legebat, dũ eadẽ via patres aliquos aduẽtantes videret. Prætereũtib. comiter impertita salute, quousq; oculis, quos continuò in eos intẽtos habebat, anteeũtes recto itinere prosequi poterat, pedetentim assectabatur. Cæterũ vel solus ipsorũ aspectus tantã ei voluptatẽ afferebat, quasi si Angelos aliquos cælites nactus esset, ac secũ ipse beatos illos reputãs, quod eos nihil, vti se, quo minꝰ Deo liberè seruire posset, impediret, scil. idem viuẽdi genus anhelabat. Vbi illi ad villæ fores peruenerãt, ipse eandem viam remensus, alijs ibat obuiam, ac denique plurimum recreatus se referebat domum. Hilariũ diebus, quæ Quadrag. ieiunio licẽtior mos præmittit, quò à ludis

ludis abesset,& theatris,ac pios interea sermones institueret, in Collegiũ se abdebat, Patres Societatis Iesu spectaculum suũ esse dictitans, q̃ sibi maiorem, quam vlla res mortalis,lętitiam faceret.De leuium hominum oblectamentis, tam contemptim loquebatur,vt appareret liquidò, q̃ facilè ijs careret.Quodã eorũdẽ Hilariũ die,cũ Mediolani equestre certamẽ ingẽti totius ciuitatis,ac præcipuè equestris iuuẽtutis cõcursu celebraretur, atq; eorũ singuli equis veherẽtur insignibus,ac p̃ cuiusq; copijs magnificè phaleratis;ipse quo huius mũdi gloriã despicatiorẽ haberet,seq; ipse vinceret, interesse proposuit.Sed quãuis vt ante memini,equorũ illi facultas suppeteret,quorũ vnus holoserico opertus stragulo ductus ad manũ,plerũq; ipsũ sequebatur, tunc tamen præter morẽ, p̃ vicos eq̃tibus illis cõfertos duobus dũtaxat pueris comitatus humili inuectus est mulo,haud minori ludibrio mũdum habens,q̃ ipse haberetur. Hoc factum cõplurib.religiosis hominib. qui illud spectarũt,notarũtq; singulari gaudio & exemplo fuit.In pietate solenne suũ tenuit, neq; vnquã receptũ sanctè meditãdi morẽ prætermisit. Loca cærimonia aliqua inclyta, atq; inprimis Aedẽ D.Mariæ,cui à S. Celso nomẽ,fama miraculorũ id tẽporis celebrẽ frequẽtare amabat. Singulis Dom.ac festis

ad D.Fi-

Fidelis, quæ est Societatis Iesu ædes, inter adeundum ad sanctam Eucharistiam tot Deo submissi, deuotique animi documenta dabat, vt omnibus religionem, & sanctimoniam afflare videretur. Certè sacerdos, qui eo tempore in illa æde verba de superiore loco faciebat ad populum, confirmat se quoties animum suum inter dicendum veberiore pietate inflammare vellet, ad Aloysium, qui nunquam non præsens contra suggestum aderat, oculos aduertisse, soloq; eius, veluti sacræ cuiusdam rei aspectu permotum, & iucunditate quadam cœlesti imbutum esse. tanta iam tum sanctimoniæ fama pollebat. Iam Cæsaris litteræ; quibus ei suos titulos fratri concedendi potestas fiebat, erant allatæ, atque ipsi septimum decimum iam annum agenti, atque ad Religionem liberè euadere cupienti nihil erat longius, quàm vt eum pater Castilionem reuocaret; cùm exorta repentinò tempestate, à portu, quem prope iam tenebat, in altum pelagus relatus est. Etenim Marchio siue studium illud, quo ALOYSIVS à primo ferbuerat, diuturna mora refrixisse ratus, seu paterna caritate, quæ filium amittere vetabat, humanisque rationibus permotus, eius animi per se, aliosque solicitandi, ac tandem explorandi, an talis adolescens rē tantam, diuina voluntate, imbibisset, Mediola-

diolanum ipse proficisci instituit. Simul eò improuisus aduenit, quærit ex ALOYSIO, qua tandem nunc mente sit. postquã eum certum, constantemque, vt cum maximè, comperit, ingenti mœrore cruciari, atque vbi indignatione, doloreque ardens detonuerat, amicè cum eo congredi, seque ostendere non vsque eò male Christianum esse, qui in Deum offendere, aut eius volũtati respondere velit, verùm, si rationem sequatur, sibi illum videri, non Dei nutu, sed proprio quodam suo studio ferri. ipsã enim aduersum parentem pietatem, quæ in ipsius Dei legibus sita sit, aliasque rationes cum diuini numinis honore cõiunctas, alia omnia, atq; ipse destinaret animo, suadere. Denique quibus potuit argumentis, quæ amor, dolorque subijciebant, disputare aggressus est eum, si religione se deuinciret, labem suæ domui futurum, quòd ipso sublato eam funditùs ruere necesse esset. Adhæc ipsius illi commodam, minimeque ab honestæ vitæ ratione distrahi cereã naturam ob oculos ponebat. Non esse proinde quod fortunæ commoditates retinere dubitaret, quandoquidem, inter eas etiã, facultas esset futura religiosorum ritu degendi, ac præterea populos, quos eius ditioni Deus subiecisset, ad parendum Dei mãdatis, Christianamque pietatem complectendam

ctendam ſuis exemplis permouendi. hanc nimirum etiam patere ad cœlum viam. Veniret illi in mentem quanto iam apud omnes ſuæ ditionis homines in honore, exiſtimatione, amore eſſet; quam auidè expectarent, atque etiam ſupplices ad Deum tendentes manus, ſe ipſi regendos gubernandoſque quamprimum committere poſſe optarent. Redigebat prætereà in memoriam, quantam iam Principum, cum quibus conſuetudinem, rationemque habuiſſet, quorum præclara eſſet de ipſo opinio, gratiam collegiſſet. Iam verò fratris etiam, cui, ſi religioni nomen daret, deceſſurus erat, ingenium proponebat feruidum, nullo, per ætatem, vſu, neque adhuc imperio idoneum, & ſi, in illo adoleſcentiæ lubrico, liberas habenas nactus eſſet, dedecori opportunum. Ad vltimũ: *Me me*, inquit, *aſpice ægrum, & continuis podagræ doloribus obſitum, atque ita maceratum, vt iam ægrè me cõmoueam, qui tandem reipublicæ gerendæ moleſtijs ſubleuari maximè indigeo, & verò iã nunc abs te poſſem. At verò ſi, me deſerto, in Religionem commigres, circumſtabunt me negotia, quibus gerendis impar, ſimul & curarum, & morbi ærumnis opprimar, tuque adeò mortis mihi cauſſam dabis.* & hoc dicto ingentẽ vim lachrymarum prorupit, interiectis vocibus plenis doloris, & affectus. ALOYSIVS, qui patiẽ-

ter

ter dicentē attenderat, postquam demissè pro amore, curaq; de se paterna, quam declararet, gratias egit: se verò, respondit, hęc omnia, aut certè maximam eorum partem, cum animo suo reputasse, neque quid suarum esset partium ignorare. Quod si alia quàm Dei voce ad nouam vitæ rationem vocaretur, tum verò se minimè pro bono facturum, si quæ ab ipso essent commemorata, atque inprimis Patri, cui secundum Deum deberet plurimum, obediendi, seruiendiq; necessitatem insuper habuisset: nunc quando non proprio animi sui impetu, sed Dei afflatu, cui dicto audiens esse vellet, ad religiosorum hominum studia institutaq; impelleretur, sperare se Deum, quem nihil præterit, prouisurum, vti omnia non ex ipsius modo optimi numinis sententia, sed etiam è familiæ, ditionisq; suę quà dignitate, quà vtilitate euenirent. Non aliud sibi ab eius benignitate polliceri posse. Marchio cognito, filium pro explorato habere, mentem illam sibi à Deo datam esse, eamq; vnam tam arduī consilij causam esse, didicit, niti hac persuasione eius animo exempta, ab instituto diuelli non posse. Magno igitur illi negotio fuit, vt complures religione tum astricti tum soluti homi-

homines eius animum, & instinctum, quo ille moueretur tentarent, periclitarenturque, atque in eam opinionem adolescentē adducerent, vt è Dei honore futurum putaret, si ætatem in ditione sua administranda collocaret. Hi omnes, cùm vt Marchioni obsequerentur, alijs atq; alijs diebus, seorsim singuli hoc consilium probassent, ac, quanto maximo potuerunt dicendi artificio, expositis religiosæ vitæ molestijs, terrorem studuissent opponere, alijsque modis eius constantiæ periculum feciſſent, tādem, nullam apud se dubitationem relictā confessi, & firmum adolescentis animum admirati, Marchioni confirmarunt à Deo instinctum videri, non sine cumulo aliarū ipsius laudum. Cùm hæc ad Marchionem referrentur, omniumque inter se sententiæ maximè congruerent, vt modum aliquando statueret suo quærendi studio, esſetne hæc Dei voluntas necne, cùm aliter ingredi aut vehi articularis morbus non sineret, iussit se in sella ad S. Fidelis Domum Societatis Iesu deportari, atque ibi in quoddam conclaue Patri cuidam magni in ea vrbe nominis ad se accersito: sibi, inquit, in causa tàm graui, in qua de filij primogeniti, & talis filij iactura ageretur, certum esſe eius stare iudicio, deq; eius sētentia consilium capere. Prius tamen cupere, vti coràm adoleſcen-

leſcentem de animi ſui propoſito diligenter interroget, illudq; perpendat. Rogare deinde, vt pro ingenij, doctrinæq; præſtantia, rationes oēs ad diſſuadendum efficaces, afferret. Polliceri denique, quantum quidem ſibi imperare poſſet, acquieturum. Pater quò Principis poſtulationi morem gereret, accepit conditionem, atque accerſito in vtriuſque conſpectum ALOYSIO horam ipſam eum partim percunctando, partim quæcumque ad hominis ſpiritum, incitatiq́ue diuinitùs animi motus explorandos; penituſq́ue cognoſcendos acutè & ſubtiliter inueniri queunt exponendo, perquam ſeriò pertentare cœpit. Quòd autem Societatis inſtituta delegiſſet, coaceruauit omnes difficultates, in quas vnquam, qui hoc viuendi genus adamarit, delabi poſſit. Atque hunc omnem inquirendi laborem adeò dedita opera ab ſe ſuſceptum præſeferebat, vt ex animo loqui videretur; & ALOYSIO ipſi, vt poſtea in religione mihi narrauit, ſuſpicio incidit, Patrem nequaquam videri ſimulatè agere. Quia ergo plurimum illi auctoritatis tribuebat & fidei; neque adhuc quiſquam extiterat, qui, velut ante tentata vena, tam appoſitè ad mouendum animum, tamq́ue, vt ipſe loquebatur, ex proprijs de ea diſſereret, ſuſpenſo aliquamdiu animo ſtetit.

Interea tamen insigni semper confidentia ad interrogata respondit, & nodos omnes qui incidebant non modo rationibus, sed etiam sacrarum litterarum, Doctorumque hominum auctoritatibus tam liquidò dissoluit, vt pater non modo gauderet adeò tenacem suscepti consilij, verum etiam in Dei diuinorumque hominũ libris tam præclarè versatum esse miraretur. Adhæc, quòd responsiones omnes tam accommodatæ atque ex causæ quasi visceribus natæ erant, suspicari cœpit lecta illi esse, quæ de Religiosis ordinibus à Diuo Thoma in summa Theologiæ disputantur. Igitur ad extremum in hæc verba prorupit: *Aequum postulas, Domine ALOYSI, neque dubium esse potest quin sit vt dicis. Mihi quidem stimulos admouisti, neque vllum præterea quærendi locum reliquisti.* Hæc verba nimirum adolescentem recrearunt, satisque ostenderunt, aliter illum sentire, atque assumpta tantisper ipsius periclitandi persona, visus esset. Submoto dein ALOYSIO Marchio persuasum sibi iam fassus est, Deo sic placere, orsusque omnem eius vitæ cursum sanctè à primis incunabilis institutum recensere, denique gratiam se illi Religionis colendæ facturum spopondit. In paucis dehinc diebus, ipse Castilionem remigrat, dato negotio

vti

vti ALOYSIVS vna, quæ superabat, causa transacta eòdem ad abdicandum se principatu, sequeretur. ALOYSIVS verò quamlibet horam, quam extra Religionem consumeret, pro mille annis ducens, vt maturaretur vrgebat.

CAPVT VNDECIMVM.

B. ALOYSIVS PRIMVM MANtuam profectus spiritualibus exercitationibus vacat, deindè Castilionem reuersus denuò oppugnatur.

APpetente tempore, quo B. ALOYSIO Castilionem redeundum erat, cum ex eo quod Mediolani contigerat, nouam aliquam procellã sibi impendere conijceret, priusquam Mediolano discederet litteras dedit ad Præpositũ Generalem Societatis Iesu admodum ardentes, quibus, commemoratis periculis, quibus erat perfunctus, consiliũ petebat, quid, si Marchio denuo aditũ ipsi ad Religionẽ claudere, aut certe prolatare moliretur, sibi faciundum putaret? liceretne sibi, bona eius venia, iniussu patris, in aliquod Societatis domicilium confugere? Iam enim nemini amplius obscurum esse, se

in hoc Dei nutum sequi. P. Generalis etsi adolescentis miserebatur, angebaturque eius discrimine, minimè tamen id illi, inuito Patre, audendum esse iudicauit. Daret ergò operam, vt eius permissu posset. omninò id ex ampliori Dei gloria, atque è re tum ipsius, tum vniuersæ Societatis fore. Hoc consilium ALOYSIO sequi visum est. Profectus dehinc Mediolano, prius quàm Castilionem veniret, Mantuam concessit, ibi partim mentis suæ reficiendæ, partim proposito suo confirmando, animoque aduersus ingruentes, vti metuebat, impetus corroborando, cupido eum, exercitationibus sacris B. P. Ignatij, in Collegio Societatis, vacandi cæpit. Agebatur tum mensis Quinctilis anni M. D. LXXXV, quo tempore Legati Iaponij indies Mantuæ expectabantur. Illi enim è longinquis illis oris Romam profecti, vt sacrorum principatum in D. Petri Sede residere profiterentur, suorumque Regum, ac totius populi Christo in ilis terris adiuncti nomine, Pontifici Maximo Christi in terris Vicario se submitterent, inque eius auctoritate fore sponderent: iam legatione omni primùm apud Gregorium decimumtertium, quo rerum potiente aduenerant, deinde apud Sixtum quintum Gregorij Successorem qui

qui interea erat Pontifex renunciatus, dum ipsi in vrbe morarentur, expedita, patriam repetebant, iamque facto per sanctam Lauretanam ædem itinere bonaque Galliæ Cisalpinæ parte lustrata, mense Quinctili Mantuam deuenerunt, vbi à Guilielmo Duce, & Vincentio Principe apparatu regium in modum magnifico, maximisque honoribus sunt accepti. Cùm ergo ex omnibus circum regionibus, gentium ac populorum ad pompas ludosque spectandos concursus fierent, atque inprimis ad Legatos ipsos videndos, quorum aspectu ipso, stupore quodam aliquantisper homines defixi, mille eos faustis precationibus prosequebantur; interea ALOYSIVS ludis, atque spectaculis alijs omnibus recessui, & solitudini posthabitis, in Collegiũm, ardentissima æstate immigrauit, atque intra angusti admodùm cubiculi parietes, duas tresue hebdomadas delitescens, tàm flagranti studio tempus omne sanctè meditando consumpsit, vt ne punctum quidem eius sineret effluere, quin aut preces pronunciaret, aut silentio commentaretur, aut librum quempiam ad pietatem appositum euolueret. Eodem tempore tanta fuit cibi parsimonia, vt prope nihil edisse videri possit. Quamobrem, qui

prandium illi in cubiculum afferebant, satis mirari non poterant, ea victus ratione hominem vitam tolerare posse. Aggressus est pijs exercitijs illum excolere Pater quidam, qui, quòd quinque & viginti annos tyrones Societatis, in prouincia Veneta rexisset docuissetque, earum rerum, atque adeò totius ascetices vsu, prudentiaque singulari pollebat. Apud eundem anteactæ ætatis maculas omnes præcipuo quodam cum pietatis sensu, intimoque gaudio confessione eluit, atque in eius animo mirificam admirationem, ac studium eximiarum virtutum suarum reliquit. id quod ille tum mandatis posteritati litteris, tum Nouellariæ, inquirente Episcopi Rhegiensis Lepidi Vicario, iureiurando testatus est. Ibi enim interrogatus: Sciretne Beatum ALOYSIVM perfectæ cuiusdam vitæ, multis virtutibus, donisque spiritualibus ornatum adolescentem fuisse: his, quæ ipsa adscribam, verbis respondit. *Ego verò, Domine, non modo è nostrorum Patrum sermonibus, sed longè melius ex adolescente quodam multæ virtutis, quo secretiori cubiculario, scholarum suarum amanuensi & quasi studiorum socio vtebatur, à quo de pœnis ab eo voluntate susceptis, de frequen-*

ti ſeceſſu de egregijs admodùm virtutis, & ſanctitatis exemplis, ab hoc adoleſcente editis quædam præclara cognoui. Fuit & alia mihi certior eius diſcendi via, oblata per idem tempus occaſione eius conſuetudine vtendi, operamque illi meam in exponendis ſacris Societatis exercitijs nauandi, quibus ille, vt ipſe mihi dicebat, Dei voluntatis in deligenda religione liquidius explorandæ, quòd eam penitus perſpectam, Vir excellentißimus Pater eius Marchio eſſe vellet, imbui cupiebat. Ibi caſus tulit, vt, pœnitentiæ cauſſa, vniuerſæ vitæ noxas ritè prodenti aures darem, in quibus, etſi diu multumque meditatus, nullius reminiſci potui, quam iudicare poßim lethalem videri, ſed in ijs argumenta quædam mirificæ ſanctitatis, ætatisque præclarè actæ extitiſſe. Illud ſanè affirmare poſſum, ex eius me confeßione in magnam quandam opinionem ſanctitatis, innocentiæ, integritatis ipſius veniſſe, talemque apud omnes prædicaſſe. Neſcio quæ deinde res popoſcerit, vt is pater ex eo collegio abſcederet, quem alius in munere tradendorum Ludouico exercitiorum ſecutus, neque rarò ad eius confeſſionem adhibitus ſibi etiam iuratus aſſeueret eius bonitatem, puritatem, Dei colendi, ſuique deſpiciendi atq; edomãdi ſtudiũ ſingulare,

& admirabile visum esse. Ibidem præterea ostensæ sunt ei constitutiones, & Regulæ Societatis IESV, quibus diligenter lectis, negauit in ijs vllam esse, à qua sibi animus, territus difficultate, refugeret. Abiturus exemplum sibi concedi petijt earum meditationum, quæ in historia necis Christi versantur. scilicet vt inde digresso easdem iterandi facultas esset. Reuertit denique Castilionem; quò simul accessit, optabat quidem suam causam vrgere, ne tamen Marchionis exasperaret animum aliquot dies exspectauit, dũ sua ipse sponte, de ea sermonem inferret. Interea cohorte vniuersa populoque admirante mirum quantum attentè sancteq; se tractare instituit. Quoties enim ex arce prodibat, demissis semper erat oculis, præter, cum clientes suos salutabat, erga quos tanta erat eius comitas, vt quasi continuò capite aperto esset. In ædes sacras ad rem diuinam cum fratre venienti scabellum peristromate puluinisque holosericis sternebatur, ijs Rudolphus pro dignitate anniti solebat. At ALOYSIVS in templo & domi puluinum omnem, tapetemq; aspernatus vtroq; genu humi nixus, deiectis oculis primũ re diuina attendenda, deinde canonicis precibus recitandis, aut tacitè rebus sacris voluendis ani-

animo, totas horas extrahebat. At festis, & Dominicis diebus, quibus sacra Eucharistia impertiebatur, tantum temporis agendis gratijs absumebat, vt Rudolphus animi causa ad exercendum corpus egressus, ipsiusq; domum deducendi causſa reuersus, orationi etiam intentum reperiret. Inter Vespertinas preces, à quibus nunquam aberat, assidere parcens, gènibusque assiduò hærens non mediocres in eorum, qui videbant, animis pietatis motus excitabat. Domi institutum abstinendi, & precandi morem tenebat, ac plerumque solus in cubiculo tam acre, & intentũ silentium agebat, vt nõ rarò plures dies, quibus vix verbũ diceret, abire pateretur: si verò eũ loqui vsus postularet, aut necessitati, aut pietati parebat. Ipse certè nobis confirmare solebat, plus se verborum post initam Religionem vno die, quàm antè multis mensibus feciſſe: &, si quando sibi in patriam reuertendum esset, omninò, ne apud eos offenderet, qui se ante in sæculo nouissent, arbitrarique possent Religionis se disciplina dissolutiorem esse factum, necessarium fore morem viuendi in tempus mutare. Atqui nobis compertum est eum, in religiosa Societate, silentij obseruantissimum fuisse. quippe quod, nisi animum à contentione commentandi, colloquijs relaxare iussus à

Præsidibus, nunquam rumpebat. Iam verò ad cruciatus corporis voluntarios tantas accessiones fecerat, vt præ macritudine vix pedibus consisteret. In quo profecto negari non potest quin modum excesserit, estque illo pieratis vltra prudentiæ fines sit abreptus. Sed nimirum ratus se illis parem, solum ardorem animi, quòd alio careret, ducem sequebatur. Idcircò mater eius, cũ alijs rationibus, Marchioni coniugi suo author erat, vt licentiam ei Religionis suscipiendæ permitteret, tum hac maximè quòd se aiebat, si domi diutiùs attineretur, eo breui orbatum iri. neque enim fieri posse, vt eiusmodi cursum viuendi tenenti, loginquior vita esset. At verò si Religiosis transcriberetur, curæ præsidibus futurum, vt hunc exuberantem feruorem eius moderentur: atque ipsum in eorum potestate fore. plane, vt ipsa prædixit, euenit. ipse siquidem palàm fatebatur Religionem non animo duntaxat suo, sed etiam corpori salutarem fuisse, idque præsidium, qui sibi immodicis illis, vti aiebat, studijs concitatior cursu ruenti frenos adhibuissent, se caritati acceptum ferre. Eodem tempore impensius, quàm hactenus illi studio fuit fratres suos, tenella etiam tum ætate, pietatis præceptis informare, precandique mo-

dum

dam docere. quod vt libentiores factitarent, secundum preces cupedijs è saccharo donabat, alijsque blanditijs mulcebat. Cæterum omnium fratrũ carissimus illi semper esse visus est Franciscus, qui hodie Marchio Castilionensis est, in quo principatu Rudolpho successit III. Nonas Ianuar. Anno M. D. XCIII. in quem ALOYSII amor nascebatur, vel ex eo quod iam ille per ætatem disciplinæ capax quieti cuiusdam iudicij indicia prodebat: vel quòd prouideret animo (vt nonnulli autumant) inquantum familię, ditionisque suæ præsidium, & decus esset èuasurus. Solet siquidẽ mater eius commemorare, se Franciscum aliquando admodum puerum, cum pueris sibi à pedibus, vociferantem, & iocantem audisse, deinde metu perculsam prospectasse per ianuam, simulq; ALOYSIO dixisse: Male se metuere, ne illi puero nocerent. tum ALOYSIVM respondisse: *Ne dubita, Domina mater, quin Franciſco ad ſe tuendum ſatis ſit futurum animi: quin immò, demitte in animum quod dico: Franciſcus demum erit qui familiam noſtram ſuſtentabit.* Marchionis coniux hæc verba mente reposuit, quibus quàm ad amussim responderit euentus, neminem fugit, qui vel auditione acceperit, quemnam ille in superioribus tragœdijs, quibus eius familia vé-

lia vexata est, se præstiterit: & iam florentem statum, in quem ab ipso restituta est intuetur. Porrò quod ad prædictiones rerum attinet, auctor est Franciscus Turcius eius morum præfectus, ALOYSIVM cùm adhuc seculo teneretur, compluribus clientibus suis multa vaticinatum esse, quæ prorsus ita, vt ille dixerat, euenerint. Iam aliquot dies elapsi erant, quibus Marchio nullam de ALOYSII caussa mentionem fecerat. ibi ille rei conficiendæ percupidus instare cogitat. Oblato igitur tempore, apposito sermone Marchionem commonefacit, maturitatem iam tandem videri, quæ animo conceperit, ad opus conferendi. Hic Marchio necessitatem sibi impositam videns aut concedendi quod poscebat, aut negandi, altum animo dolorem premens, negat se vnquam huiusmodi licentiam dedisse, neque porrò daturum esse, antequam consilium maturuerit, ipseq; sat robusta ad illud exequendum ætate sit, qualis circa annum quintum & vigesimum soleat esse. Exanimatus tàm inopinato responso ALOYSIVS lamentis ac precibus per diuinum Amorem obtestari aggreditur Marchionem, vt ab se æquum bonũq; impetrari sinat. At vbi ille semper obstinatior præcisè negat, vllum se eius precibus relicturum locum, & rebus desperatis

spatium

spatium consultandi capit: mœrens, flendi caussa, in cubiculum se conijcit. Arripuerat ille quidem hoc tempus, vt rem Deo commendaret, deque ea Generalem præpositũ per litteras consuleret: sed Marchio adeò illũ stimulare, atque opprimere præfestinauit, vt cum Generalis sententiam opperiri non posset, quod è duobus minus malum est visum, elegerit. Responsi summa hæc fuit. Etiamsi nihil hac mora & retardatione seruitutis, quam apud Deum, in Religione colere animus esset, in vita sibi posset accidere acerbius, nihil quieti suæ mentis infestius, tamen quò patri obsequeretur, cui & ipse sponte sua, quibuscumque in rebus licear, morem gerere percuperet, & in hac caussa, iussu Præpositi Generalis, quantum cum officio, Deiq; pace conniti posset, deberet: duabus conditionibus se in alterum, tertiumue annum reijci passurũ. Earum altera si non staretur, nunquam adductum iri, vt patris gratiæ caussa, irato Deo vti vellet, ac, si à Patribus Societatis abijceretur, inuito potius patre extorrem toto orbe errare malle, quã vel latum vnguem à rectæ conscientiæ lege discedere. Conditiones hæ fuere. Altera, vt eo tempore omni, quo suus in Religionem ingressus differetur, Romæ habitaret, vbi & propositum suũ opportunius tueri, & studium

dium in literis collocare posset. Altera, vt Marchio iam litteras ad Præpositum Generalem daret, quibus filium suum eo tempore elapso in Societatem adsciisci permitteret; nimirum, ne qua postea difficultas existeret. His conditionibus auditis, quas suis consilijs aduersari sentiebat, factus iratior Marchio, cùm duos ipsos dies, ne se certo vllo tempore eum missurum, aut quid aliud facturum sponderet obfirmatè recusasset, tandẽ victus ALOYSII constantia, quem & ius bonum petere videbat, & ne quod aliud suis rationibus alienius consilium iniret, metuebat exacerbare vehementius, flecti animum suum passus omnia eius postulata se facturum recepit. ALOYSIVS de totare P. Generalem extemplo certiorem facit, commemoratis rationibus, quas in illa cum patre suo pactione secutus esset, ijsque verbis claudit epistolam, quæ argumento essent, quantum ex hac optatissimæ sibi rei dilatione dolorem caperet. Ijsdem diebus sanctus adolescens luctu consenescebat, multisque lachrymis suam, vt aiebat, siniſtram fortunam deplorabat, quod tam illustri, & quidem primo inter fratres suos loco natus esset. contrà verò ijs, qui obscurioribus orti natalibus his impedimentis carerent, quæ à Religionis aditu arce-

arcerent inuitos, sanctè inuidebat. Verum enimuerò Deus, qui mœrentibus solatio esse, & calamitosos vota facientes solet aspicere, succisis præter cæterorum hominum opinionem, simul omnibus quæ ALOYSIVM suas delicias, ne votorũ suorum compos fieret, remorabantur, mœroré ab eius animo breui detersit. Postquam enim de ratione Romæ commorandi agitari cęptum est, censebat Marchio diuersandum illi esse in domo Vincentij Gonzagæ Cardinalis; iamq; Guilielmum Ducem orarat, vt eam rem Cardinali per litteras commẽdaret, & ille pro suo eximio in ALOYSIVM amore haud grauatè hanc operam pollicitus erat: quando exorta nescio quâ Ducem inter, & Marchionem controuersiâ vtri prius scribendum esset, vtroque certis de causis alteri priores deferente, res eodem loci mansit, neque aliud præterea actum. Id verò eximię cuiusdã Dei prouidentiæ fuisse satis apparet, & ALOYSIVS vltrò prædicabat. Etenim si Dux Marchioni gratificatus, ad Cardinalem litteras dedisset, fatebatur ipse huius se beneficij causſa illi obnoxium futurum, atque adeò in seruitutem quandam offensurũ fuisse, qua multis deinde annis ægrè sese expedisset. Fracto hoc cõsilio, Marchioni venit in mentem, eum in Seminario Romano col-

no collocarè, sic vt in eius parte aliqua sibi, nonnullisque famulis destinata, vti personæ dignitas postularet, seorsim à ceterorũ contubernio, societatis disciplina, vsq; ad conditam diem optimis artibus erudiretur. Verùm quoniam id cum eius loci lege pugnabat, qua, ad eum diem, nemo quisquam solutus fuerat, misso Romam certo homine cum litteris, Scipioni Gonzagæ viro Illustrissimo negotium dedit, vt cum patre Generali hoc ageret, oraretq;, vt eius permissu sibi id liceret. Egit ille partes suas perquam ardenter. verum allatis rationibus, cur id concedi minùs conueniret, de sententia deductus, vt res se haberet, Marchionem per litteras edocuit. Ille necdum abiecta rei obtinendæ spe, eò flexit, vt ALOYSIVM hortaretur Leonoram Austriam Mantuæ Ducem optimè de Societate meritam rogare, vt ipsa id sibi gratię à P. Generali apponi postularet. Respondit sapienter ALOYSIVS, alium potius quemuis quàm se hanc curã decere. Quod enim peteretur & sui animi rationibus, & existimationi inimicum esse, quandoquidem suspicionem mouere posset, animum sibi vel commutatum, vel refrigeratum esse. præsertim quòd non ita pridem, in obtinenda ab Imperatore abdicandi sui copia, eiusdem Principis feminæ opera esset vsus.

Itaque

Itaq; ne hoc quidē consilij processit. Dum de alia ratione deliberatur, ALOYSIVS, cùm se confirmasset, renouato ardore, pias corporis afflictiones, iciunia, orationes instaurat, nec vnquam sacræ Eucharistiæ fit particeps, quin Deum obsecret, vt tandem aliquando, quæ moram sibi inijciant, de medio tollere dignetur. Præcipuè verò cum aliquādo huius gratia quaternas, quinasue horas in oratione posuisset, instinctu quodam animum sibi sentit adigi, atq; incitari, vt Marchionem grauiter è podagra iacentem adiret, iteratoque, vt missum se faceret, exorare conaretur. Ipse ratus hanc sibi vim proprio quodam impetu S. Spiritus afferri, à precibus rectà ad Marchionis cubiculum contendit, eumque intento animo, his ipsis vehementibus sanè verbis aggreditur. *Equidem, Domine pater, in tua me potestate fore profiteor. De me statue, vt lubet: veruntamen tibi denuncio, me à Deo ad Societatem IESV vocatum esse. itaque dum hac in re mihi obsistis, Dei voluntati obsistis.* & hoc dicto, ne puncto quidem temporis responsum præstolatus, è conclaui se ejicit, Patrem improuiso dolore grauiter ictum relinquens. Ibi illum cum animo suo in memoriam redeuntem, ac recognoscentem, quanta vi adhuc filio restitisset, hinc quidem religio ac metus,

ne Deum irritasset: inde verò reputantem animo se à tali filio desertum iri, tam acerbus mœror incessit, vt, conuerso ad parietem vultu, magnam vim lachrymarum profunderet, diuturnisque lamentis, singultibus, complorationibus vniuersam cohortem suam aduerteret, mirantem quid illi tandem obiectum esset noui? Aliquanto post interuallo, ALOYSIVM in conclaue accitum sic affatur. *Vulnus, fili mi, cordi meo inflixisti. qui te amo, semperque amaui merito tuo, atque in te spes omnes meas, familiæque nostræ defixeram. iam verò, quoniam aliò te, vt ais, Deus vocat, non equidem vltrà te morabor. Vade, fili mi, quò tibi collibitum est. id vt bene, & feliciter eueniat precor.* quæ verba cum tanta doloris, amorisque significatione, sensuque protulit, vt denuò vberes fletus erumperet; neque esset qui illum consolatione lenire posset. ALOYSIVS actis breui gratijs, ne dolorem augeret, inde in suum se Domicilium recipit. Ibi, remotis arbitris, humi prostratus, passis brachijs, oculis sublatis in cælum, Deo pro iniecta sibi mente, proque eius secundo successu gratias agit, seque tanto animi gaudio Deo in holocaustum dedicat, vt Dei maiestatem assiduè laudan-

do,

do, eique benedicendo satiari non posse videretur.

CAPVT DVODECIMVM.

TANDEM MARCHIONIS titulo, fortunisque abdicatis, Romam profectus, Societati IESV adiungitur.

VIX ALOYSIVS, tot votis expetitam à Patre missionem impetrarat, cùm eius rei fama Castilionem pervasit, tanto clientum omnium dolore, vt eum multi abundantibus lachrymis testarentur. Paucis siquidem illis diebus, quibus, antequam inde se mouere posset, Castilione moratus est, quoties incedebat per oppidum, certatim viri, fœminæque eius videndi, & honorandi caussa fenestras omnes vestibulaque complebant, ac deinde tanta significatione amoris ploratum edebant, vt & ipse ægrè lacrymas cohibetet. adhæc velut cæleſtem hominem in cælos tollebant, suamque infelicem sortem lamentabantur, qui mereri non potuissent, à tam sancto principe gubernari. Nonnulli etiam, quibus faciliores erant

ad aulam aditus, pluſque apud ipſum poterant, flentes aliquando eum adeunt, hiſque verbis compellant. *Domine* ALOYSI *quid ita nos deſeris? nactus es prouinciam tam amœnam, clientes tam humanos, qui te non illo ſolum amore diligunt, quem erga ſuum principem cuique natura quædam inſeuit, ſed in te eximia præterea pietate feruntur. Tu nobis in moribus, in te ſpes noſtræ ſitæ erant: & iam, cùm maximè expectamus, dum rei noſtræ publicæ gubernaculis manum admoueas, à nobis auelleris.* His ſubridens ALOYSIVS: *Ego verò, inquit, vobis profiteor, velle me mihi è cælo coronam petere. Nimis magni negotij eſt, hominem ditione, & principatu præditum, æternam ſalutem conſequi. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, Mundo & Deo. Mihi certum eſt ſalutem meam in tuto locare. idem & vos ſtudete.* Agebatur deſiderio quamprimum è patria, in Dei domum commigrandi. Sed aliquot ſe hebdomadas in ea tenere compulſus eſt, partim dum matrem ſuam, quæ Auguſtum Taurinorum Infantem Hiſpaniarum, Allobrogum Ducem ſalutatum abierat, præſtolatur, partim dum procurat, vrgetque abdicationem ſuam, cuius ſtipulationi expreſſo Cæſaris mandato, qui è Gonzagarum familia, proximè illum attingebant, ad quos ea ditio, extincta Marchionis ſtirpe, hæ-

pe, hæreditate ventura erat, interesse iubebantur. Quia verò ij viri principes sedes suas plerique omnes Mantuæ habent, eorum opportunitati vt seruiret Marchio, eò se licet ægrum deportari iussit. In eius cum ALOYSIO digressu Castilione non modo aulici viri ac feminæ, quibus inibi manendum erat, sed omnes prope oppidani, cum ALOYSIVM rheda inuehentem viderent, certum non reuerti, quem se nunquam præterea visuros putabant, omnia plangore, & lamentatione complebant. At ferè, per proximos consequentes dies, nihil præter eius sanctitatem, & virtutem in ore hominum fuit, pro se vnoquoque, quam in eo obseruasset, prædicante. itaque iam omnium consensu in Diuorum numero ducebat. Sed maximam omnibus admirationem mouebat, quod tam libenti animo, Deo seruiendi causa, Marchionis honorem abijceret, quodque, vt id consequeretur, tot patris sui aliorumque procerum impetus, summa constantia ac fortitudine excepisset, fregisset que. Mansit ALOYSIVS Mantuæ alterum ferè mensem, cuius temporis plerumque in Collegio Societatis colloquijs, cum Patribus, qui inbi degebant, indulgendo, ac pœnitentiam, & Eucharistiam celebrando traducebat.

cebat. Qua in re vehementer totius vrbis per quam iam rumor diſtulerat (vt fe. luſtrium hominum res citò vulgar quorſum aduenisſet, animos ad æmulatio nem accenderat. itaque venerabundi illum ſpectabant, atque ab eius vultu ſibi pietatem aſpirari fatebantur. Moram verò tot dierum in illa vrbe attulit, quòd cùm, vt ſupra narratum eſt, in abdicationis tabulis hæc conditio fuiſſet poſita, vt dum viueret, quadringentos ſibi ſcutatos in ſingulos annos reſeruaret, quorum in quicquid libuiſſet expendendorum ipſi poteſtas eſſet, Marchio poſtmodum à Rectore Collegij in ea vrbe edoctus, minimè fas eſſe cuiquam Religioſorum hominum, rem vllam propriam habere, aut pro libitu, vel in ſuos vſus diſpenſandam, ſed hoc totum eſſe procurationis præſidis, eamque legem, ad paupertatis ſtudiũ ſartum tectum tuendum, inuiolatam ſeruari, ideoq; ſolis collegij reditus in communi permitti, è quibus ſingulorum neceſſitatibus conſulatur; hoc cognito nolle cœpit quicquã ALOYSIO relinqui, quod diceret ſe cum eam cõditionem tulerit, id ſpectaſſe, vt ea pecunia in Aloyſij eſſet manu, nunc poſtquã intellexerit id per Societatis inſtituta non licere, cupere ſe eã expũgi. Ac ALOYSIO quidẽ, qui nihil morabatur

tur qua formula abdicatio fieret, dūmodo acceleraretur, nullius negotij erat id permittere, sed nōnulli Iurisperiti Marchioni denunciarant, quandoquidē Cæsar ea conditione adiuncta, abdicationis auctor esset factus, verendum esse, ne ea sublata, tota in dubium vocaretur. Dum ergo ea res vertitur, varijsque Iurisconsultis disceptanda traditur, opinione plures absumpti sunt dies. Eius moræ cùm ALOYSIVM distæderet, summa tandem contentione peruicit, vt hoc etiam impedimentum alterum remoueretur, abdicationisque instrumentum, ijs omnibus, quas vellent, appositis cautionibus conscriberetur. Eo confecto IV. Nonas Nouemb. an. M. D. LXXXV. Mantuæ in Palatio, quod S. Sebastiani dicitur, in quod Marchio diuerterat, Prospero Gōzaga viro Illust.mo quo nemo erat propinquior, alijsq; viris principib' quorū intererat, cōgregatis stipulato Aloysius Marchionis ornamētis opibusq; se abdicat. narrāt viri principes, quorū memini, dū à Notario prolixæ illę tabulę recitarētur, interea Marchionē, prę dolore quo vrebatur, fletū moderari nequiuisse at cōtra Aloysium qui se sūma votorū attigisse cernebat, tātis incessisse lætitijs, vt Illust.mus Prosper neget vnquā se illū quā illo die lętiorē vidisse. Et tamen illo ipso die mane paulò ante-

quam abdicationi stipulatio subderetur nonnulli primarij, & illustres viri, qui cum Vincentio Principe, qui modò Mantuæ Dux est, in idem palatium aduenerant, interea loci dum Princeps cum Marchione ageret, ALOYSIO plurimum negotij attulerãt, Ludos eum faciendo quòd Religioni nomen dare vellet, summaq; vi nitendo, ne abdicatio transigeretur. Consignatis tabulis ALOYSIVS, curis omnibus fortunarum, & ditionis exolutus solum se abdit in cubiculum, Deoque se ad pedes abijcit, gratulabundus, quòd se tamdiu optato sanctæ paupertatis thesauro dignatus esset. atque interea tantis illi animus delicijs, solatijsque cælestibus circumfluxit, vt postea narrare sit solitus, se cum alias sæpe, tum illo die præcipuè præsens sibi Dei numen, gratiamque sensisse. Ac sane admirabile est Ferdinandum Marchionem, Principem adeò splendidum & liberalem, vt etiam prope profusus audire posset, in filium suum primogenitũ, & talem filium, tamque sibi vnicè charum, tanta parsimonia vsum esse. præsertim cum ipse vnus auctor fuisset, vt quadringẽti illi scutati ipsi seponerẽtur. Crediderim equidem Deum, quo ALOYSII, qui in celeberrimis Europæ aulis versatus, tantum perpetuo paupertatis studi' præ se tulerat hila-

hilaritatem cumularet, compositò passum esse, vt Marchio in contrariam suo mori partem laberetur. Persolutis Deo gratijs Venerabilem Sacerdotem Ludouicum Cataneum, in cubiculum accersit, quem cum iussisset vestitum è panno quem ad Societatis modum clam omnibus sibi Mantuæ faciendum locauerat, sua benedictione dedicare, seipse vestibus omnibus profanis atque adeò etiam ipso induſio, & tibialibus sericis exuit, ornatusque habitu illo sacro, in conclaue, in quo Principes prãdium opperiebantur, de improuiso sese infert. Illi rei nouitate attoniti lachrymas non tenuere, atque imprimis pater eius Marchio, qui etsi diu conatus, nunquam toto mensę tempore lachrymis imperare potuit. Ibi ALOYSIVS ducto è re nata sermone festiuè, modestè, ac perquam appositè de opportunitatibus, periculisque diuinæ Maiestatis lædendæ, quibus homines seculo immersi conflictantur, de inanitate caducorum huius vitæ bonorum, de aditu æternæ salutis viris Principibus, ac Magnatibus multis difficultatibus obsepto, de cura, quã pro sui quemque animi immortali salute gerere par sit, disserere est exorsus, tanta auctoritate, cœlestisque Spiritus impetu, vt viri illi principes cum multa illum significatione reuerentiæ, ac pietatis attende-

rent. quinetiã hodie hic eius sermo multorum ore celebratur. Postridie eius diei, qui fuit III. Non. Nouemb. Duci Mantuæ, eiusque filio, ac Principibus ibidem fœminis valedixit, vesperi verò domi, vtrumq; parentem (nam mater nuper è Taurinis erat reuersa) quàm submississimè orauit supplex, vt sibi bene precarentur. Id dum faciunt, quot lachrymas profuderint, atque inprimis Marchio pater, facile est cuiuis æstimare. Postera luce Romam versus iter capessit, cum eo comitatu, quem illi Marchio attribuerat, in quo erat inprimis V. R. Ludouicus Cataneus, quem eo itinere in officijs pietatis administrum adsciuerat, Petrus Franciscus Turcius eius Moderator, Ioannes Baptista Bonus Doctor, Cubicularius vnus, alijque famuli. In hoc porrò suo discessu, quamuis omnes collachrymantes aspiceret, incredibile est quàm parum propensum in consanguineos suos animum declararit. Rudolphũ fratrem minorem, cui Marchionis dignitate cesserat, qui eum vsque ad Padum (vbi deinde naue Ferrariam versus conscendit) in rheda prosecutus est in via, ac digressu paucissimis affatus est. Cuidam viro primario in naui dicenti, se credere Rudolpho magnam voluptatem attulisse, quòd in eius ditionem posset succedere, respondit: *Non tamo*

illum

illum sibi gaudio successisse, quanto ipse illi decessisset. Ferrariæ, salutato eius loci Duce Alphonso Estensi, ipsiusque coniuge Margarita Gonzaga sua cognata, Bononiam iter intendit. Optabat omninò hoc itinere ad sanctam Lauretanam domum proficisci, cùm propria quadam in eum locum pietate impulsus, tùm desiderio soluendi voti, quod in suo partu mater olim, pro ipso, nuncuparat. Nam etsi, promulgato Iubilæo, iustis de caussis potestas illis erat facta, eius peregrinationis alijs officijs commutandæ, eaque iam vterque ritè præstiterat, tamen ipse & primo illo matris proposito, & singulari suo studio obsequi decreuit. Consilium igitur illi fuit primò Florentiam ad Magnum Ducem Franciscum contendere, atque inde Lauretum flectere. Verùm vbi Petram malam attigit, qui locus in finibus Hetruriæ versus Bononiã magno Duci paret, comperit metu pestilentiæ, omnia arctissimis custodijs teneri. ibi quamuis eius comites nomen genusque hominis, & suscepti itineris caussas exponerent, nunquam tamen eos vt transitum darent exorarunt. Ergo necessariò Bononiã reuersus, inde per litteras Magno Duci se excusauit, quòd non, vti optasset, sibi officium illi, cultumque coràm tribuere licuisset. Bononia per Flaminiam recto itine-

itinere, Lauretum petijt, quò postquam de-
uenit dici non potest quantis eum iucun-
ditatibus Deus, & Beatissima Mater Virgo
perfuderint. Proxima luce, in sacro Sacello
quinis seniue continenter sacrificijs cùm
astitisset, incredibili cum religione Eucha-
ristiam suscepit. defixus verò in cogitatio-
ne beneficij, quod in eo loco vbi tanta ma-
iestas, & sanctimonia latuit, genus humanũ
accepisset, totus lachrymis diffluebat, neq;
inde posse abduci videbatur. Quo verò
maior illi esset copia in sacro loco toto di
orandi ac meditandi, remisso P. Rector
Societatis ipsum, ad Collegium inuitanti
humanitatis officio, ad vulgare cum suis o-
mnibus hospitium diuertit. De prandio re-
dit ad sanctam domum, & quia iam incre-
buerat quis esset, & quo animo Romã per-
geret, omnium digitis monstrabatur sibi
gaudentium, quòd adolescentem eâ clari-
tudine generis, opumque affluentia vidis-
sent, qui maiori studio molitus esset, vt ad
humilem & inopem statum redigeretur,
quam fere cæteri ad honores, diuitiasque
grassentur. Proximè sequenti luce ante di-
cessum placuit illi iterum inter rem diuinã
sacra Eucharistia reficì, & nonnihil tem-
poris precibus dare. eo facto Romam ver-
sus equitauit. Ratio viuendi in itinere hac
ferè erat. Mane simul cubitu surrexerat,

quar-

quartam horæ partem silentiò orabat, deinde preces canonicas, quas circiter Primã, Tertiam, Sextam, Nonam cani mos est, cũ Ludouico Sacerdote, à quo in hoc orationis genere, cuius adhuc vsum nullum habebat, erudiri petierat, preces viatoribus accommodatas, quas itinerarium vocamus, recitabat, tum verò equum inscendebat. Multa passuum millia solus, & remotus à suis omnibus conficiebat, modò preces exercitij quotidiani, modò alias pronunciãs, modò meditationi, & contemplationi de more vacans itaq; nihilo secius dum equo veheretur, quàm alij in cubiculo retrusi, pietatis officia colebat. Idcircò eius comites, quos minimè fugiebat, quantum solitudine, recessuque oblectaretur, dedita opera aliquanto ab illo interuallo faciebant iter. Vbi libebat silentium interrumpere, accito ad se Ludouico illo Sacerdote, colloquebatur cum eo de diuinis rebus. Dum equi pastu reficiuntur meridiè, & ipse permodicum sumebat cibum, deinde dictis cũ eodem sacerdote vespertinis, extremique dieiprecibus, ad equos, atque in viam redibat. Eius magna parte præcipiebat animo pœnas, macerationesque corporis, quibus, vt valde erat deditus, ita sperabat sibi Religioso amplissimam earum copiam factum iri: interdum verò secum ipse res Indicas, con-

conuersionemque Ethnicorum volutabat, atque in spem in eas oras aliquando, cum alijs, qui magno numero prope quotannis ex Europa soluunt, missu præsidum proficiscendi exardescebat. aut denique alijs his similibus cogitationibus leuabat viam. Vesperi in diuersorio quamuisquod asperrima hyems esset, frigore rigeret, nunquã se tamen calefaciebat. Sed confestim in cubiculum solum se abdebat, atque ibi deprompta, atque ob oculos posita Christi crucifixi imagine, quam secum deferebat, ad eius pedes iacens, duas horas continuò cum Deo agebat, tot intermistis lachrymis, singultibus, gemitibus, tantoque animi ardore, vt eius homines, qui foris voces audiebant, perculsi stupore, suique pœnitẽtia, inter se aspicerent. Secundum hanc orationem, diu se quotidie verberibus castigabat; tum verò vocato in cubiculũ sacerdote Ludouico, Matutinas preces, & laudes legebat. Inde accumbebat ad mẽsam, & valentioris materiæ cibis semper abstinens, perquam sobriè, & frugaliter cænitabat. Instituerat quarta, sextaque feria, ac sabbato ieiunia, quib⁹ assueuerat seruare, sed Sacerdos cũm frangi eum, vexarique itineris laboribus videret, ijs temperare iussit. cui ille tum quidem dicto audiens fuit, sed vix Romam venerat, cũ ea resumpsit. sibi dormi-

tum

eum conceſſuro neq; lectum calefieri, neq; veſtes detrahi ſuſtinebat. Itaque cùm tibialium è panno ad eum diē inſolens fuiſſet, quo Societatis habitū Mantuæ sūpſerat, ijs educendis plurimū laborabat quotidie. Semel verò eius miſertus ſacerdos, cum ſuccurriſſet, comperit pedes, ac tibias prope obriguiſſe, neque tamen vel tunc quicquā ſibi ignis adhiberi, illo quamuis vrgente, paſſus eſt. Romæ cùm in ædibus Scipionis Gonzagæ Patriarchæ Illuſtriſſimi deſcendiſſet ex equo, paululūq; reſpiraſſet ex itinere, inde in domum Patrum profeſſorum Societatis Ieſu ſe contulit, vbi P. Claudio Aquauiuæ Præpoſito Generali, qui in hortū obuiam illi deſcenderat, ad genua ſe ſubmittit, ſeq; illi filium, & ſubditū tā piè, ſubmiſſeq; profitetur, vt è terra excitari nō poſſet. Inde digreſſus, Cardinales quoſdā, atq; inprimis Farneſiū, Alexandrinū, Eſtēſem, Mediceū, qui hodie eſt Magnus Dux Hetruriæ, ſalutare aggreditur, à quibus omnibus ſingulari beneuolentia, & comitate acceptus eſt, ac præcipuè à Farneſio, & Mediceo, qui maximoperè contenderunt, vt ad ſuas ædes diuertere vellet. Salutatis omnibus Cardinalibus, quos officij cauſa præterire non poterat, ad ſeptē celeberrima vrbis templa, aliaque famā, ac ſanctitate illuſtria loca, incredibili pietate ſupplicatū ijt.

per

per vias, quæ de vno templo in alterum ferunt vel diuina tacitus meditabatur, vel sacros hymnos canebat; in ipsis verò templis mille modis Deum adorando pium deuotumque eius numini animum declarabat. Lustratis templis ad Sixtum V. Pont. Max. adijt, vt eius benedictionem peteret, & à Marchione patre suo litteras ei redderet. Vix in Pontificij conclauis procœtones erat ingressus, cùm aulicorum, quos iá sparsus de eius instituto rumor, proindè quasi ad prodigij cuiuspiam spectaculum, cõtraxerat, corona cingitur. Admissus ad Pontificem, postquam, de more, pedibus osculũ tulit, litteras à patre affert. Multa eum Pontifex super ipsius Religionis ineundæ consilio rogitat, atque inprimis, satisne prouisos haberet animo eius vitæ labores. Vbi ille iampridem meditata sibi omnia ac perspecta respondit, Pontifex, collaudato eius instituto, animique altitudine, benedictione impertitum ab se dimisit. Eodem die, qui erat sabbatum, siue quod pridie præter panem & aquam, religionis ergò, nihil gustasset, siue quòd eodem die, quo admittendus haberet ad Pontificem, ad horam alteram & vigesimam ieiunus mansisset, siue alia de caussa, domum reuersus deterius valere cœpit, atque ideò metuere, ne id nouam sibi remoram faceret. Verùm malum

non

non vltrà processit. Postero die, qui erat Dominicus, ineunte, in sacello DD. Mart. Abundij & Abundantij, quod est sub ara maxima Basilicæ Farnesianæ Societatis IESV, sacris adfuit, & diuina Eucharistia fruitus concionis audiendæ caussa in Odeum se recepit, ac deinde inuitatu R. P. Præpositi Generalis cum Scipione Gorzaga illustrissimo Patriarcha in communi cum Patribus triclinio prandit, & silente, iussu eiusdem Patris anagnoste, verba de suggestu fecit. Tenebat Patriarcham eius cum modestia, & compositissimi mores, tum verò dicta ac responsa, ac mirum sibi videri dicebat: huic adolescenti verbum nullum incassum excidere, sed omnia diligenter expensa, & quasi quadam trutina examinata. Aulicos etiã [illud] rimum excitabat, qui illud inprimis an[notav]arunt, de quo supra commemini, e[t] cum in priuato sacello eiusdem V. Illustrissimi rei diuinæ interesset, postquam eò ventum erat, vt sacerdos sacram hostiam de more spectandã attolleret, imbrẽ lachrymarum cœpisse fundere, frustraque celare studuisse. Ad extremum feria secunda, a. d. VII. Kalend. Decẽb. qui D. Catharinæ Virgini ac Martyri sacer est, ante meridiem, cùm esset annorũ septemdecim, mensiũ octo, dierũ sedecim, lætus atque hilaris suis omnibus, atque et-

iam Illustrissimo Scipione Gonzaga comitatus, domum tyronum Societatis IESV, ad Diui Andreæ in Quirinali ingressus est, cùm eam regeret, tyronesque formaret, vir eximia, vt alibi exequemur, sanctitate, P. Ioannes Baptista Piscator. Ibi Illustrissimus Patriarcha, postquam sacris operatus ALOYSIVM cœlesti Eucharistia participauit, vnà cum Præposito Generali, qui eadem de causa aduenerat, prandium cepit. In ipso domus aditu ALOYSIVS conuersus ad suos ab vsque Mantua comites, hortatus est darent operam, vt æterna salute potirentur. Doctori Bono, quod se prosecutus esset, pro officio gratias egit. Præfecto prætorij negotium dedit, vt cum patris sui litteris, Liburnum profectus, Magnum Ducem Hetruriæ, suis verbis saluraret: Cubiculario, vt matri salutem diceret: Ludouico sacerdoti, vt patri, suo nomine, hæc verba referret: *Obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui*. significare nimirum voluit, se ex eo momento, omnem domus patriæ, populi, ditionisque abse iam spretæ, memoriam velle deponere. Quærenti, num quid aliud Rudolpho fratri suo vellet, respondit: vt illi diceret: *Qui timet Deum faciet bo-*

ria. His dictis eos orbari se tam bono Domino, ac Principe vehementer deplorantes, reliquit. Denique Illustrissimo Patriarchæ Gonzagæ, qui egregiam operam in aperiendo ad Societatem aditu illi nauarat, toto pectore immensas gratias egit, suumque pro eius incolumitate precandi studium professus est. Hic ille Antistes, qua erat facilitate, eius verbis commotus lachrymas inhibere non potuit, seque ipsi, qui optimam partem eligere nouisset, sanctè inuidere testatus est. Omnibus iam religioni alienis hominibus, ac rebus expeditum ALOYSIVM, tyronum Magister cùm in cubiculum induceret, in quo primum, de more Societatis, sui periculum faceret, non aliter quàm si cœlestem quendam paradisum intraret, toto animo exultans illud vsurpauit: Hæc requies mea in seculum seculi hic habitabo, quoniam elegi eam. Deinde verò solus ibidem relictus procumbit in genua, mentem intima quadam suauitate delibutus, oculis fletu, quem diuinus amor ciebat, madentibus, DEO gratias agit, quòd se ereptum ex AEgypto in terram hanc diuinitùs promissam, lacte, & melle cœlestium gaudiorum manantem, per-

duxisset. Tum verò seipsum in sacrificium, atque holocaustum Diuinæ eius maiestati offert & dedicat. Denique præsidium sibi afferri petebat quo, vti deceret, sibi in domo Dei habitare, perseuerare, atq; sanctam seruitutem in ea seruienti emori liceret. Non desijt deinde eum diem, quo Religionem esset ingressus, anniuersario cultu, festum habere, Diuamque Catharinam, cui is erat sacer, sibi in patronam cooptauit.

DE VITA RELIGIOSA B. ALOYSII GONZAGAE LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

QVAM PRAECLARE TIrocinium Religiosæ vitæ posuerit.

QVoniã qualis inter suos, ante repudiatas fortunæ opportunitates, assumptũq; religiosioris vitæ cultũ B. ALOYSIVS fuerit exposuimus, tẽpus nũc est, vt quibus moribus, atque sanctitate inter socios, postquam in eo-

in eorum numerum receptus est, egerit referamus. Quo quidem tempore etsi lucernæ instar arsit, quòd tamen domestica disciplina, velut exiguis modij finibus, clausus tenebatur, hominumque lucem fugiebat, minus etiam eorum oculos, ac mentes excellens eius virtus aduertit. Nam & admodum adolescens, cùm Theologiæ studia necdum explesset, neque per ætatem Sacerdotio initiari posset, mortem obijt: & paucis illis, quibus vixit, annis, præsidum voluntate efferuescens ille ardor, quo antea actus finem & modum transierat, velut iniectis frænis, ad definitum, temperatumque viuendi morem reductus est. Quare externa quadam rerum specie eius facta metientibus, videri possit, postquam in aliorum potestatem concessit, ijs omissis quæ in paterna domo in vsu habebat, præcipuam suarum laudum segetem perdidisse: at verò ijs qui cœlestis philosophiæ diuturniorem vsum habent, religiosam eius vitam purgatis, collustratisque diuina luce mentis oculis intuentibus, liquidò apparebit, & quantam accessionem ad perfectam virtutem, superiorum ductu fecerit, & quãto interuallo quæ in religione gessit superioris ætatis actiones dignitate præcellant. Religiosus siquidem, quippe vberiore sacrarum rerum cogni-

gnitione imbutus, affluentius quoddam lumen in agendo sequebatur, nullaq; erat eius actio, quamuis minima, quam non & plurimarum virtutum comitatu, &, quia voluntatem suam omnem, nisi congrueret penitus cum diuina, abijciebat; vnico Dei gloriæ amplificandæ studio, atque pleno in eum caritatis ardore, decoraret. Sed in omni eius præstantium virtutum copia, quas hac altera parte persequemur, duo quædam obseruare licet. Alterum quòd cùm in principatu natus & enutritus, item tenera, debiliq̃ue valetudine esset, tamen vix pedem in Societatis domum intulit, cum ita ad communem viuendi morem, domesticamq̃ue disciplinam assueuit, nihil vt à ceteris differre videretur. neq; se vnquam à quoquam præsidium, quamuis, recenti præsertim à mutato statu, sæpius id offerretur, aut accipi curatius, aut vlla in re eximium haberi passus est: & domi ad munia quamuis abiecta, & humilia tam lætus alacerque descendebat, vt illum ad eum diem nunquam alienis ministerijs vsum, sed in aliorum seruitio ætatem contriuisse diceres. Alterum, quòd à principio persuasum habuit eum demum omnes religionis numeros obiuisse, qui nihil eorum prætermiserit quæ sanctis eius instituti legibus sanciuntur, inque officijs omnibus,

quantum-

quantumuis leuibus, quæ in dies singulos imperantur, quàm diligentissimè sit versatus. Quare in omnibus, quæ vel instituto vel more quotidie præcipiuntur, exhauriendis, nihil illo obseruantius, nihil intentiùs fieri poterat. qua via in tantum euasit perfectæ sanctimoniæ fastigium, vt cùm omnibus Religiosis, quos aliquod sublimioris virtutis studium tenet, tum præcipuè Societatis nostræ hominibus, tanquam omnibus numeris absolutæ sanctitatis exemplar suo merito proponi possit. Iccircò in hac altera parte consilium mihi est, minuta etiam quædam, & interiora persequi, vt habeant nostri, in omni domestica functione vnde exemplum sumant. Igitur in ipso tyrocinio altissima omnis virtutis fundamenta posuit. Postquam enim, vt dicere instituera m, primam probationem ingressus est, eos omnes dies, quibus secretum egit, in diuinis rebus meditandis, vel legendis (quanquam vt erat semper in Deum intentus, nihil prope, inter eius lectionem & meditationem intererat) magnopere eius animus acquieuit. Interea siue mutatione cœli, atque victus, siue corporis afflictatione, cui insistebat, seu nimia in commentando contentione mentis, eius valetudo tentari

cœpta. Ea cauſſa Præſides coegit aliquanto ſolito citius illum emittere. Quod eo fecere libentius, quòd ſacris exercitationibus Mantuæ nuper obitis, Societatiſque Regulis, ac Conſtitutionibus perlectis, haud ſanè noſtrarum rerum rudis aduenerat. neque verò inter tot aduerſa probatus, præterea probandus videbatur. Exacta probatione, Medico tantiſper curandus traditur, donec ex inualitudine confirmetur. Lintea quibus in itinere Romam vſque erat vſus, cùm eluenda data eſſent, ex aſſiduis flagris, quibus quotidie ſe ipſe conciderat, plurimo ſanguine imbuta comperta ſunt. Poſtquam in aliorum conſuetudinem admiſſus eſt, animaduertit illum tyronum Magiſter, capite paullò inclinatiore ingredi. Eius ergò vel ab ea conſuetudine deducendi, vel ad ſui victoriam exercendi, iuſſit collari è rudi charta tela tecta guttur prætendi, quo caput ſurrectum demittere non poſſet. Id cum aliquot dies geſtare iuſſus eſſet, mirifica alacritate paruit, eiuſque gratia placidè ſubridebat in congreſſibus. Cæteros omnes tyrones proinde obſeruabat, ac reuerebatur, ac ſi eius familiæ poſtremus fuiſſet. neque diu cunctatus eſt, quin ieiuniorum, flagrorum, ciliciorum, aliorum-

rumque edomandi vel corporis, vel animi officiorum potestatem sibi fieri postularet. Iã verò vbi animaduertit tyrones nõ, vt ipse adhuc feciſſet, pileo quadrato, qui Clericorum est insigne, neq; cetero vestitu vti, etiam eleganti panno, quam esset, quem sibi inter suos faciendum curarat, etiam atq; etiam præsides orauit, vt vulgarẽ extemplò sibi tyronum pileum, vestesque ceteras concederent. id quod impetrauit. Adhoc, suum canonicarũ precum Breuiarium, quod fronte, & inuolucro aurato erat, bona eorundem venia, cum alio vulgari commutauit. deniq; quod ab omnibus, quæ Aegyptum redolerent abhorreret, paulatim se omnibus quæ secum detulerat, exuit. Constat cum Sanctorum Patrum consensu, tum diuinarum litterarum auctoritate, eos qui se Deo in seruitutem dedicant, in eaque fideliter versantur, non à Dæmone ad luendam alicuius noxæ pœnã, sed proximè ab ipso Deo tentandi, periclitandique causſa exerceri. Itaque Deus quos diuinioris scientiæ luce imbuit, ijs ferè solet cæleſtem illã animi voluptatem, quam ijs qui eius imperia nauiter faciunt, indulgere consueuit, aliquantisper adimere. D. Bernardus allatis in quodam sermone rationibus hoc amplius censet, id à Deo nõ consuetudine solum, sed etiam necessariò

fieri. Non passus est Deus diu seruum suum ALOYSIVM huius generis gratiam ab se desiderare. Iam enim à principio aliquamdiu animo ab illis solarijs vacuo fuit, quo tempore non ille quidem inquies, aut perturbatus, aut ad vllum vitij genus erat propensior, sed hilaritatis illius suauitatisque quà mens eius, inter suos etiam fruita fuerat, iacturam se fecisse condolebat. Vnum supererat dolori leniendo, quòd quoties ad orandum se daret, illo planè se leuatum sentiebat: neque multò post omni illa tristitiæ nube depulsa, Deus qui se eius periclitandi, atque ad sui maiorem cupiditatem inflammandi caussa paullispèr abdiderat, denuò menti eius illuxit pristinamque ei pacem, tranquillitatemque retulit. Aliàs Dæmon quò illius animum contraheret, atque abijceret, hanc ei cogitationem subiecit: Quid de te tandem faciet Societas? Ille se à Dæmone solicitari confestim odoratus, obuiam illi obstitit, atque intra semihoram palmam tulit. Testatus est deinde se hisdumtaxat duabus vicibus toto tyrocinij tempore tentatum esse. deinceps ergo mens illi sedata semper & quieta fuit. Quid mirum? omnibus mortalium casibus animo superior, omnia diuino consilio assignabat. quo eò loci euasisse videbatur,

batur, vbi iam nulla perturbatione quati posset. Id adeò satis ostendit allato de patris sui Ferdinãdi Marchionis morte nuncio, qui duobus mensibus & dimidiato quàm ipse Societati se coniunxerat, diem obijt: quo audito nihilo plus commotus est, quàm si nihil eius interesset. Itaque eodem die aliorum suasu matrem consolaturus per litteras, sic eas exorsus est, vt Deo gratias ageret, quòd deinceps nihil causæ esset habiturus, quin diceret: Pater noster qui es in cælis. Id verò cum alij omnes, tũ illi imprimis valde mirati sunt, quibus cognitus erat intimus ALOYSII sensus, atque in patrẽ amor, & obseruantia, quę erat tanta, vt cùm à Deo, cælestibusq; rebus discessisset, negaret se quicquã in terris habere carius. certè confessus ipsemet est, patris mortem seorsim spectatam, non posse non summo sibi dolori esse, at vbi reputaret, Dei nutu euenisse, nõ posse sibi molestum esse, quod illi placuerit. atque id est quod paullò ante diximus, eum fortuna omni altiorem fuisse, quòd totus ex Dei nutu penderet. Idem ille præproperus patris exitus causam Aloysio dedit, eximij in se amoris, singulariſq; curæ quã Deus pro se gereret cognoscendæ. Etenim si Marchio duobus tribusve mensibus prius decessisset, quam ipse suis se opibus abdicasset,

aut

aut eius ad Religionem acceſſus in tertium menſem reiectus eſſet, verendum erat ne aut Præpoſitus Generalis, ratus eam familiam tam appoſito ad rem gerendam capite priuandam non eſſe, eum accipere detrectaret, aut Prouinciales pro ſuo inflammato in eum amore, vi retinere niterentur, aut certè ipſe ditionem fratri minori etiamtum admodum adoleſcenti veritus committere, ſatius duxiſſet ſaltē aliquamdiu in eius adminiſtratione verſari. quem verò ea res euētum fuiſſet habitura, id ſcilicet Deo exploratum eſt. Nunc Deo qui eum diligebat cordi fuit, poſteaquam ereptum è fortunæ vinculis Religioni aſſeruiſſet, tum demū ad ſe Marchionem eius patrem euocare. Neque verò obſcurius in ipſum Marchionem eadem prouidentia enituit. Nam, cū ille ab ineunte ætate multa belli decora equo peperiſſet, tempuſque omne in honoribus, omnique huius mundi claritudine ſibi ſuiſque quærenda tranſmiſiſſet, dedito iam Religioni ALOYSIO ita mores ipſe ſuos ad virtutem conuertit, tamque flagranti animo ad pietatis ſtudia ſeſe contulit, vt notis omnibus miraculo eſſet. Ludum, cui hactenus pluſculum indulſerat, penitus reſpuit. & quotidie veſperi, cùm ad lectum in quo articulari morbo laborabat, Chriſti cruci ſuffixi ſimulachrum,

chrum, quod ALOYSIVS reliquerat, afferri iussisset, coram eo, vnà cum Ghisonio, quem nuper ALOYSII cubicularium sibi retinuerat, septem psalmos, qui ad pœnitentiam pertinent, & litanias recitabat. ad quas accersebat etiam cõiugem, & liberos, atq; vt respõderent imperabat. Inter orandum tanta vi lachrymabatur, tãto cum singultu atque gemitu, vt ardoris pœnitendi, quo eius animus succendebatur, abundè ostentui esset. Ad vltimum crucifixi signũ complexus, & pectus tundens identidem, cum lachrymis ita precabatur: *Miserere Domine, Domine peccaui, miserere mei:* Miratus verò insolentem hanc suam flendi promptitudinem, tandem: *Non ignoro,* inquit, *vnde hæ lachrymæ fluant: sunt hi* ALOYSII *fructus:* ALOYSIVS *à Deo Opt. Max. vt hoc salutari dolore cor mihi suffigeret, impetrauit.* Ad hęc ALOYSIO Cataneo sacerdoti Roma, quo ALOYSIVM erat prosecutus, nuper reduci, ad D. Virginis Matris Mantuanæ deducto, omnes superioris vitæ labes, vt ipse mihi ALOYSIVS sacerdos retulit, accuratè, & dolenter Christiano ritu confessus est. Neque verò posthea flagrans hic eius animus vnquam deferbuit. Vbi verò ingrauescere indies morbum videt, Mediolanum iubet se deportari, experturus ecquod ibi à Medicis malo suo remedium

afferri

afferri possit. verũ in paucis diebus extremis appropinquauit. ergo cùm P. Franciscus Gonzaga tum etiã summũ in suo ordine magistratũ gerens, qui fortè Mediolani agebat, quondam præcipiti iam die ad eum salutatum, atq; impendentem mortẽ nunciatum veniisset, ipse quid tali tempore sibi ille vellet, facile suspicatus, vltrò petijt vt è suis, quem maximè idoneum putaret, confitenti datum operam, ad se allegaret. allegauit: confessus est. postridie reuersus P. Generalis hortatur, vt testamentum faciat. fecit, & ordinatis omnibus, quæ opus fuit, suos lamentantes eo solatus, quod liceret gratulandum sibi potius esse, quem eo tempore Deus migrare iuberet è vita, cum tam præclarè animatus esset, Idibus Februar. anno M. D. LXXXVI. mortalitatem exuit. corpus, vti mandarat, Mantuam delatum, in æde D. Francisci sepultum est. ALOYSIVS, quæ circa patris obitum acciderant, à P. Generali, de quo modo memini, atque familiaribus suis certior factus, gaudio gestiens, Deo gratias egit. Solet commemorare ita se à patre suo edoctum esse: Nitendum esse ei, qui ad aliquod viuendi genus aut negotium adiungat animum, vt quàm potest fieri diligentissimè instituta perficiat. hic cùm patri in subiectis fortunæ rebus sen-

sus

fus fuisset, æquum esse, vt ipse in Dei causſa similiter sit affectus. Neque segniter factis ipsis ostendit, quàm altè hoc dictum in animum demisisset, qui accenso semper studio pugnauit, vt seipsum in rationis ditionẽ redigeret, & omne virtutis, Christianæq; Philosophię nomen, decusq; gereret. Atq;, vt pauca delibemus, quæ iam tum de illo in admiratione, & sermone erãt; principio, curã de propinquis omnem adeò deposuit, vt memoriam etiam eorum omnem ex animo deleuisse videretur. Itaque interrogatus, quot haberet fratres, nõ prius responsum dare potuit, quã secum ipse eorum numerũ iniisset. Alias percũctanti cuidam patri: molestiamne aliquam è necessariorum recordatione caperet; negauit eorum vnquam in mentem venire, nisi cum generatim eos Deo commendare vellet, ac, Dei beneficio, vsq; eò se cogitationes suas in potestate habere, vt non nisi, quod vellet, vnquam animo succurreret. Sensus omnes suos tã diligenti custodia sepserat, vt oculis & auribus præditus, nec videre nec audire, & corpore in terra positus, mẽte in cælis versari videretur. Nunquam, dum Religioni vacauit, rem vllam odoriferã, nedũ adscito odore imbutã in manus sumpsisse visus est, & quoties in valetudinarijs ægris ministrabat, cuius copiam sæpe sibi

pe sibi fieri postulabat, ad omnium teterri-
mos applicabat se, situmque illum, ac pæ-
dorem tam facilè ferebat, vt nullum falti-
dij signum daret. Domabat & tactum infli-
ctis carni verberibus, admotis cilicijs, nu-
do pane & aqua in diurnum sæpe victum
adhibito, alijsque corpori pœnis, cruciati-
busq; impositis. quæ omnia valde frequen-
tabat, nisi tamen propter infirmam valetu-
dinem, rarius ac vellet, horum ei licentia
permittebatur. Neque aliud maiorem ei
dolorem afferebat, quam quòd suo in hac
re animo obsequi non liceret. quondam
etiam cuidam patri confidenter negauit,
quicquam esse ea supplicia, quæ corporis
animique insolentiæ reprimendæ modò
vsurparet, ad ea quæ in pristina fortuna sua
sponte tulisset. hoc vno se recreari, quòd
religionem naui persimilem esse sciret, in
qua non minores progressus faciant, qui
gubernatoris iussu otiosi sedeãt, quàm qui
in remigando desudent. Die, quo Eccle-
more, ieiunium seruabatur, potestatem à
tyronum Magistro impetrarat, à ceteris
omnibus præter quam pane, & aqua, abs-
tinendi. ceterum Magister in illum inten-
tus, cum obseruasset, prope nihil in mensa
degustasse, ea sublata, quò aliam ipsi sibi
imperandi materiam daret, accitum ad se
iubet ad alteram mensam redire, & quic-
quid

quid appositum fuerit exedere. Fecit ille, vt erat imperatum. Tum verò quidam, qui id animaduerterat, inde digresso, per iocum: Bellam verò ieiunij artem tenes, mi frater ALOYSI, semel modicè comedis, vt iterum comedas. cui ille: *Quid vis faciam?* inquit: *prophetæ dictū est. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Ad audiendi sensum quod attinet, nunquam ille res nouas, aut inutiles narrantibus aures accōmodauit. itaq;, si res ferebat, sermonē alio traducebat: sin aliquo nu mero esset qui loqueretur, silentio ipso habituq; oris satis ostendebat quæ dicerētur, inuito sibi esse. Oculis, vti prodidimus, iā in solutiori etiam illo viuendi genere cùm seueriss im è moderatus sit, longè etiam illustriora inter Religiosos eius vigilantiæ exempla edidit. Solent tyrones in vineam quādam aliquoties quotannis, animi causſa, egredi. ad eam sæpius item ALOYSIVS iuerat, quando, nescio quis casus tulit, vt in aliam mitterētur. Postquā ex hac reuenit domum, interrogatus: vtra illi videretur amœnior: vehementer hāc quęstionem se mirari ostendit. nimirum hactenus eandem putaret esse, atque illam, ad quam prius itare erat solitus, quæ tamen cum hac plurimum, via, conclauibus, cæterisq; rebus discrepab t. reminiscendo tandem recognouit in hac

 sacellum

sacellum, non item in priori, sibi visum esse. Cum tres iam menses in tyronum triclinio cibum cepisset, ignorabat tamen quisnam esset mensarum ordo. Igitur iussus à ministro, librum quendam ab se, in loco Rectoris, inibi relictum afferre, prius edocendus fuit, quis ille locus esset, & vbi sacerdotes considerent. Aliàs tribus item mensibus in tyronum domo exactis, ad Magistrum retulit, angi se religione, quòd non voluntate, sed fortuitò in assidentem coniectis oculis, quid rerum ageret vidisset. vereri se ne id curiositatis notam mereretur, quodque magis etiam mireris adiunxit, sibi iam primùm, dum in Societate esset, scrupulum, qui ad oculos pertineret, incidisse. Gustatum funditus perdidisse videbatur. adeò nullum cibi saporem percipiebat, neq; curę habebat delicatus an vilis, bene cõditus, an insulsus esset. studio illi erat, eius quod sibi propositum esset, determinum sumere. & inter edendum nunquá non mente in res diuinas infixa esse. nam præterquam quod lectioni attendebat, meridie fel quod Christo in potione datũ est, vesperi cœnam illam sacratissimam, plenamq; mysterijs, qua postremum discipulos suos Christus accepit, animo versabat. In linguæ custodiam tam erat vigilans, vt quem fugisset, quàm sæpè illa exi-

exitiosa; atque lubrica sit, ipsum nimiopere anxium, superstitiosumque iudicasset. In precibus quas medijs occupationibus interiaciebat, hic etiam illi è psalmo versus in ore frequens erat. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* Item illud in hominum congressibus crebrò vsurpabat: *Qui non offendit in verbo hic perfectus est vir, & si quis putat se Religiosum esse non refrænans linguam suam, huius vana est Religio.* ac longè erat illi tacere, quàm loqui iucundius. Itaque incredibile est, quàm fuerit eius legis obseruans, quæ Religiosis hominibus, certis temporibus, silentium indicit. Foras aliquando cùm sacerdote deambulatum missus, quòd audiuisset, non semper quibus sit exeundi, ijsdem esse & colloquendi facultatem, libellum pium, quem huius gratia secum detulerat, per viam legere instituit, eumque partim lectitando, partim meditando sic peregit, vt suo comiti, qui delectatus hoc exemplo, & ipse illo misso facto ad commentandum se dederat, verbum nullum diceret. Amabat verò tantopere silentium, siue quod apud Deum offendere verebatur, seu quod cœlestes illæ mentis deliciæ, quibus assiduò

fruebatur, omnem lætitiæ cupiditatem, quæ ex mutuis collocutionibus hauriri potest, penitus extinguebat. Solent homines de Societate, domo exituri, quorsum eant Ianitorem certiorem facere. cùm ergo tyrones Romæ sæpe vel sacrificantibus ministratum, vel conciones, lectionesve sacras festis diebus auditũ ad Patrum Professorum domum mitti soleant, sciscitatus est à Magistro suo ALOYSIVS, Incassumne verbũ proferret, si, quando vt intelligeretur satis esset indicare, Domum se ire, adiungeret etiam se ire ad Domum professorum. Ea hora, quæ proximè à prandio ac cæna remissioni animorum tributa est, &, quòd recreare se tunc modico sermone liceat, recreationis dicitur; nunquã ille non de Deo agebat, ac sæpenumero institutum sermonem abrumpebat, vbi veniebat aliquid in mentem, quamobrem, quod erat exorsus, reticendum videretur, & paullisper defixus in silentio, nunquam persuaderi sibi sinebat, vt eum pextexeret. Quà de vestitu, quæ domi maximè detrita atque obsoleta vestimenta erant, ea sibi deposcebat. cum ergo Rectoris iussu, noua illi vestis indueretur, tantum animo cepit dolorem, vt sartorem, aliosq; qui aderant, latere non posset. Hunc postea suum dolorem explicanti, responsum est, eum etiam è quodam

quodam sui ipsius amore, & nominis, atq; aliorum de se opinionis tuendę studio posse proficisci. Quibus è verbis occasionem ille arripuit, aliquot dies in suas omnes cogitationes inquirendi, ac molestiæ illius, quam in veste induenda senserat, caput & originem, quoad liceret, pervestigandi. Cum se totum accuratissimè circumspexisset, nunquam tamen, quam huius generis culpam sustineret, reperire potuit. Quinimo, etsi comperiebat tyrocinium primũ ineunti cogitationes esse nonnullas iectas, quæ eò pertinere viderentur, vt se ipse plusculum diligeret, ea tamen, Deo opitulante, fuerat vigilantia, vti ne semel quidem ijs se obsecutum esse meminisset. Quò tamen aduersus hanc pestem esset tutior, atq; securior, in omnibus quæ aliquot mensibus de Christi ærumnis meditatus est, in eam vnã curam, cogitationemq; incubuit, vt præposteri in seipsum amoris euulsis radicibus, salutarẽ sui despicientiã, atq; odiũ menti insereret. Iã ijs quæ ad cõprimendam honoris cupiditatem adhiberi solent, eò vacabat impensius, quò ea sanæ mentis hominibus, corporũ vexatione cõducibiliora, magisq; necessaria esse censebat. igitur vsu ac tractatione palam abijciẽdi, hominumq; ludibrijs exponẽdi sui, vsque eò processerat, vt id neq; domi, neq; in

publico facere dubitaret. Sæpe potestatem sibi fieri postulabat in obsoleta lacerna, humeris mantica oneratis, per vrbem stipem mendicandi. Interrogatus ecquid hoc illi pudori esset, aut molestiæ? negauit, Proposito siquidē ante oculos Christi exemplo, & eius gratia, immortaliq́ue præmio, quod meriturus sit, satis sibi stimuli esse ad hæc omnia libenti, gaudentique animo subeunda. Neq; verò si vulgari etiam hominū iudicio rem expenderet, intelligere posse, vnde tandem sibi grauis esse possit? *Autenim*, inquit, *ijs qui me vident notus sum, aut ignotus. si me ignorant, non est mihi de eorum iudicio laborandum, neque inter meæ conditionis ignaros, de vlla existimationis iactura dolēdum. Sin me cognoscunt, præterquam quòd salubre sibi exemplum meum esse sentiunt, non modò suam de me opinionem minuunt, sed etiam tantopere augent, vt periculum sit, ne in eo animus insolenter potius sibi gloriandum, quàm tristandum putet. Qui enim in fortuna minimè tenui natus, ad inopiam Christi amore se deiecerit, ab ijs etiam in honore habetur, qui sibi illa aspernanda non putarunt.* Ad eundem modum cùm festis diebus palàm in vrbis vicis, & compitis, Præsidum missu, mendicis, ac rusticanis hominibus, Christianæ doctrinæ elementa tradebat, tanta erat eius in hoc munere hilaritas, atque aduer-

sum

sum omnes amor, vt cum omnes fructū ex eius aspectu caperent, tum verò grauissimi Antistites fortè iheda præteruecti interdum ipsius videndi, atque audiendi studio subsisterent. Fuit, cùm hominem, quem sex ipsos annos, confessione abstinere cognorat, non prius solicitare, atque, vt erat diuini spiritus incitatione inflammatus, ardenti oratione cohortari destitit, quàm eum ad pœnitentiam inflexum, secum in basilicam Nominis IESV, ad Sacerdotem perduceret, qui hominem confitentem audiret, & expiaret. Idem officium non rarò alijs præstitit. Vnum erat in quo nonnihil sibi molestię dari fatebatur, quando palàm in triclinio, vel tyronum exedra, de suis delictis reprehendebatur, non quòd notā alieni à virtute hominis, quam huius non faciebat, reformidaret, sed quòd sua sibi vitia per se stomachum mouere diceret. Itaque non aliud crebriùs poscebat, quàm vt publicè coargueretur, id quod ex vsu sibi imprimis esse fatebatur. Ac licet, vt omnes animi motus in potestate tenebat, in procliui esset ipsi mentem à reprehēsionibus, sic aliò traducere, vt eas ne audiret quidē, ne tamen, vt aiebat, præsides suos falleret, vtq; plus apud Deum gratię mererentur, id facere supersedit. Interea verò dum palàm obiurganti os tradit, reputans

se quiddam aduersi, ad exemplum Christi, perferre, excitab tur gaudio, quod uberē illi ad diu meditandū materiam prębebat. Magister tyronū postquam illū adeo omnibus in rebus consideratū videt, statuit eū aliquando, periclitandi caussa, de improuiso adoriri. Mandat ergò, aliquot dies præfecto triclinio, verrendo, tergendo, sternendo operam nauet. ipsi autem præfecto negotium dat, vt eum identidem carpēdo, & vellicādo assiduè exerceat. is quāuis suis partibus perquàm studiosè actis, nunquam tamen ALOYSIVM adigere potuit, vt vel semel se excusaret, vel cur ita fecisset, rationem redderet. Itaq; tantæ facilitatis, & patientiæ admiratione perculsus, suis ipse oculis ęgrè credebat. Venit aliquando ad tyronum domum eū salutatū Patriarcha Gōzaga. is in digressu seuocatū Rectorem percunctatur, vt se gerat ALOYSIVS. cui ille, id se affirmare posse, inquit, neminem domi esse, quin eum documento habeat. Ad summā, à primoribus sui tyrocinij mensibus tā erat cōpositis, suauibusq; moribus, cibi tam parcus, in ieiunijs tantopere deditus, corporis, animique, præcipuè cùm de contemnendo honore agebatur, tam seuerus, propensusque domitor, Legum omnium, quamuis de minutis rebus, tam sedulò obseruans, tam sui despiciens, tam affabilis

sabilis omnibus, superiorum tam reuérens, dictoq; audiens, tam pius aduersus Deum, tanta caritate in eum æstuans, atque omnibus denique virtutis numeris perfectus, vt non modo omnium tyronum ore, velut quidam è Diuorum gente, prædicaretur, ac pro tali in congressibus omni obseruantia coleretur, quæque ille contigerat, aut vsurparat, pietatis causſa osculis honestarentur, verum etiam ij qui tyrocinio excesserant, quæ illi in manibus, vsuue fuissent, reliquiarum instar hominis eximiè sancti, cupidè expeterent. Itaque libellus è quo in paterna domo vnde eum detulerat, Virgini Matri preces laudesque recitare erat solitus, eodem ferè temporis spatio, pietatis causſa, ablatus, hodie in Sicilia custoditur. Breuiarium item Canonicarum precũ, indidem ab eo allatum, apud Concionatorem quendam etiamnum reliquiarum veneratione habet. Apud alios præterea eodem loco hactenus, ex eo tempore, fuit. adeò maturè eius præclara sanctitas, virtutisque excellentia comperta est.

CAPVT SECVNDVM.

DE REBVS, ROMAE IN PROfessorum domo, cum inibi moraretur, ab eo gestis

SOlent Romæ Societatis tyrones, post quã vno alteroue mẽse in domo S. Andreæ cõsumpto, rectũ ingressos cursũ, neq; in religiosis institutis omninò peregrinos esse apparet, aliquot hebdomadas, aut menses ad professorum Domum, cui Iesu cognomentum est, destinari. Ibi certa domus parte à ceteris discluſi, sacra facientibus ministrant, legunt super mensam, alia munia obeunt, perinde atq; in tyrocinij domo solent. Præter eum qui ex ipsorũ numero delectus, Præfectus dicitur, cui à Rectore prouincia demandata est officia partiẽdi, vt & à quibus oportet rectè & ordine, & certis horis, quas illum obseruare conuenit, fiat; præest illis etiam Pater quispiam grauis, & rerum asceticarum peritus, qui eos pœnitentia lustrat, dirigit, vicem denique in eo loco Magistri tyronum fungitur. Huc ergo à Rectore missus est ALOYSIVS cùm tres circiter menses inter tyrones egisset, quod mandatum lætus imprimis accepit, duabus de causis, quarum vtramq; è pietate petebat. Altera erat, quòd Patrum exemplis, qui ætate prope omni in administratione rerũ alijsq; religionis negotijs transmissa, inibi vel templi & domus munera sustinent, vel summum Societatis magistratum, qui illic sedem habet, in re communi gubernanda, opera consilioq; subleuant, suntq; eiusmodi, vt

di, vt in eorum vitas, velut in speculum religiosæ virtutis inspicere liceat, plurimum se ad eã profecturũ sperabat. Altera, quod qua erat erga sacratissimum Eucharistiæ mysterium pietate, quæ semper fecit, vt in paterna etiam domo libenter sacrorum administer esset, vehementer lætabatur, huic se functioni ex professo designatum esse. Ceterum fuisse illum animo in sanctum illud Sacramentum admodum propenso, vsque eò inter omnes, quibuscum versatus est, constat, vt cùm de exprimenda eius effigie deliberaretur, multis placeret eo habitu pingi, vt sacratam hostiam submissis genibus adorantem referret. Inflammabant eius voluntatem oblectamenta, & illecebræ mentis notabiles, quibus inter capessẽda sacra illa mysteria, perfundebatur. Neq; id, eius integritatem animi, & exquisitã, quã adhibere solebat, præparationẽ cõsideranti, mirũ videri debet. Simul ille ad sacrum epulum accedebat, simul animum præparabat ad alterum. Ac præter cetera officia pietatis, quib⁹ vacabat, quãlibet hebdomadẽ ita patiebatur, vt tres primores eius ferias, alteram, tertiam, & quartam agendis tribus sanctissimæ Trinitatis personis sigillatim, pro tàm eximio communicatæ secum Eucharistiæ beneficio, gratijs consecraret. tres item posteriores, quintam, sextam,

sextam,& sabbatum ijsdem personis seorsim singulis orandis impendebat, vt facultatem sibi præstarent, ita vt oporteret proximo consequente die Dominico cælestis conuiuij ineũdi. Non rarò quot hebdomadibus, statis horis in sacram ædem, aut eius Odeum se recipiebat, atque ibi Augustissimam Eucharistiam adorabat, & precibus Deo ferendis nonnihil temporis traducebat. Pridiè quàm eius particeps fieret, id vnum mysterium in omnibus ipsius sermonibus & congressibus versabatur, in quibus liquida quędã voluptas, & diuinus ardor, quo eius animus interea compleretur, eminebat. Id cùm nonnullis sacerdotibus gnarum esset, dabant operam vt Sabbato quibus horis colloquendi potestas est, eum exquisitis reconditisq; sententijs, de hoc inexplicabili arcano, sermones habentem audirent. ac negabant vberiore se vnquam pietatis sensu, quàm dominico die sacris operari. nimirum Aloysij verba eorũ mẽtes commorãt, atque incenderãt. Erat verò hoc adeò peruulgatum, vt quoties vel extra dominicum diem cupido quempiam incessisset impensius ac iucundius Eucharistiæ vel sumendæ, vel faciendę, pridie se ad eum aggregaret, atque ex composito in sermonem, hac de re, delabi studeret. Sabbato vespere his cogitationibus imbutus quie-

tis se

ti se tradebat, Dominico prima luce cum euigilasset, hoc idem agebat, tum horam ipsam de admirabili, quæ in Eucharistia fit, animi cum Deo coniunctione commentabatur. hac elapsa Aedem sacram rei diuinæ operam daturus, petebat, inter quam semper immobilis genibus nitebatur. Suscepta Eucharistia, seuocabat se in angulum, è quo videre illum erat postquam aliquamdiu quasi alienata à sensibus mente orarat, ægrè se in pedes erigentem, & propè languido gradu è templo efferentem. Iucundo verò diuini amoris motu, suauitatibusque cœlestibus pleno interea pectore fruebatur. Reliquis antemeridianis horis sancto silẽtio intentus, aut preces recitabat Deo, aut eum tacitus speculabatur, aut piè aliquid à D. Augustino, vel Bernardo litteris mandatum legebat. Hac igitur gratia, lætus in Professorum domum migrauit, in qua cõperit Tyronum disciplinã commissam esse Hieronymo Plato viro virtute, rerum diuinarum studio, atque omnis Christianę Philosophiæ scientia singulari. Testes sunt eius libri tum pridem editi, tum reliqui argumento illis similes, quibus cum, per immaturam mortem, extremam manum non licuisset imponere, magno religiosorũ hominum detrimento, nunquam lucẽ aspexerunt. In ijs admirabili via, & ordine ratio-

rationem tradebat mentem ab his fortuna ludibrijs distrahendi, domandi, ac moderandi corporis, motus omnes animi frænandi, atque ordinandi, vitia, prauosque habitus extirpandi, virtutes omnes homini religioso tùm ad seipsum regendum, tùm ad consuescendum cum alijs, necessarias parandi, cum Deo denique perfecta se charitate iungendi. Duobus iam libris absolutis, mors nobis ereptum, affectum opus relinquere compulit. Hic ergo Pater, vterat pius ante alios, & sapiens, postquam suæ curæ traditum Aloysium vidit, pro ea opinione, quam iam inde à primis diebus, quibus primùm eum nosse cœperat de eo habebat, valde gauisus est. Quod porrò fuerit ab inirio ipsius de Aloysio iudicium liquet ex litteris, quas de ijs, quæ in accessu ALOYSII ad Societatẽ euenerunt, sua manu scripsit, ad adolescentem de Societate nostra, qui id temporis in Collegio Neapolitano literis studebat. quarum rerum etsi iam ante mentio facta est, tamen vttã i Patris testimonio confirmentur, non erit abs re eas litteras ad verbũ hîc collocare. Scribit igitur in hunc modum.

CARISSIME FRATER IN Christo. Pax Christi.

Litteris

Litteris, quas à te nuper accepi, cariſsime Vitelleſche, non equidem ſcio quid melius tibiq; gratius reſpondere poſsim, quàm ſi te de quodam magni nominis tyrone Societatis noſtræ, qui quinto abhinc die, (erat is D. Catharinæ ſacer) in domum D. Andreæ ſe contulit, certiorem faciam. Eſt adoleſcenti nomen ALOYSIO Gonzaga, natus eſt patre præcipuo Marchione, non longè à Mantuanorum ditione, quorum Ducem arctiſsima neceſsitudine attingit, atque ipſi, quippe ſtirpis maximo, ſpes ſucceſsionis incumbebat. Verùm vbi DEO placuit eum ſibi vendicare, duobus circiter abhinc annis, cùm in regia Philippi Hiſpaniarum Regis verſaretur, ad Societatem adiunxit animum, eumque diſertè Marchioni patri ſuo, qui & ipſe in eadem regia erat, patefecit. Is facto ſæpius eius periculo, ad extremum conceſsit, neque ita multò poſt reuerſus ex Hiſpania, ſcripſit ad Scipionem Gonzagam V. Illuſtriſsimum propinquum ſuum, qui modò Hieroſolymorum eſt Patriarcha, vti cum Præpoſito noſtro Generali ageret, filiũq; ſuo illi nomine offerret. Verùm quoniam, vt ante dixi, primogenitus erat, quem hereditas manebat, opus fuit illis iure ſuo fratri cedere, quod cũ ſine Cæſaris auctoritate fieri nõ poſſet, aliquot interim mẽſes abierũt. Nihilominus tamen, re deniq; omni tranſacta cũ ſe optimus adoleſcẽs iã iam in portũ inuehi poſſe ſperaret, pater illi in mora fuit, qui ſiue vehemẽti in illũ amore, ſiue ſpe, quam in eo repoſue-

rat seu, vt ipse modo ad P. Generalem scribit, quòd immaturam adhuc tantæ rei, eius ætatem putaret, vt tandem commeatum illi daret exterari se non sinebat; & complures eum annos remorari destinarat. Ibi verò eximia adolescentis constantia feruorq; mentis enituit. tametsi enim maiori quàm explicari possit obseruantia parentem suum colebat, nullum tamen vnquam eius solicitandi, viasq; omnes ad ipsius flectendum animum persequendi, finem fecit. cum verò nihil æqui boni impetraret, litteras sanè ardentes ad Præpositum Generalem dedit, quibus petebat, vt per eum sibi, insalutato patre, venire liceret. Cui Præpositus Generalis abnueret, res vsque ad hoc tempus dilata est. Iam verò, qua arte equidem nescio, certè impetrata tandem venia, habitu Ecclesiastico, decem circiter equitibus comitatus, Romam venit. Eius aduentus adeò percreburat, quacumque iter haberet, atque etiam Romæ paucis diebus, quibus in ædibus Scipionis Gonzagæ diuersatus est, iam emanarat in vulgus ad Societatem eum ineundam venire, vt cùm per idem tempus ad Pontificem Max. adiret, vt eius benedictione ad cepta persequenda muniretur, vulgato in aula, eius consilio, eorum hominum corona ambiretur, quorum studia & curæ quoniã immensum quantum ab eius sententia dissidebant, intenta in illã ora velut in portentum, tenebant. Proximum demum superiore feria secunda, quæ vt dixi, D. Ca-

thari-

tharinæ dicata fuit, ad D. Andreã se recepit, eodem illo Patriarcha prosequente, qui ibidem, vt cum P. Generali prandaret, remansit. Iam verò dotes eius, mihi crede, sunt eiusmodi, vt generis nobilitas, quam modò cognouisti, quàm sit illustris, decorum eius postremum sit. Ingenio tantũ pollet, vt quamuis octauum decimum annum necdum attigerit, sitq; tãdiu in principum aulis versatus, tamen Logicis, Physicisq; sit apprimè eruditus. Prudens verò & consideratus in verbis, vt (seriò loquor) nos omnes obstupefaciat. Eius illud vnum tibi argumento esto, quod Marchio eius pater iam in familiæ suæ negotijs eum adhibebat, atq; in epistola qua illum P. Generali offert, affirmat se illi donare id quo nihil carius, maiorisque spei haberet vsquam. Verum enimuerò nihil sunt hæc omnia ad eius virtutem, & sanctitatem. fatetur siquidem ipse iam inde ab octauo circiter anno Deum se timere cœpisse, satisq; id ostendũt vehementes, quibus agitur, pietatis motus. nam interprecandum continuis lachrymis abundat, & perpetuò prope, animum collectum, atq; intẽtum habet, quòd cùm ex ipso vultu, tùm è moribus apparet. Domestici narrant in more illi positum fuisse quatuor, aut quinq; tempora interdiu in meditando agere. noctu idem factitabat, sed de eius temporis partitione nihil comperti habebant, quod iampridem, in exuendo, nullius vti opera sustinebat, sed retrusus in cubiculum pro pietatis & ardoris modo deuoti Deo animi officijs

se tradebat. Ne verò me putes res eius in maius attollere, hoc tibi narrasse sufficiet, quòd suo congressu P. Andream Spinolam tantoperè sibi devinxerit, atque in tantam suæ præclaræ indolis, virtutisq; admirationem traduxerit, vt ille de se mecum postea agens, censeret me, quem quanti illum faciam vides, in eo laudando frigidiorem fuisse. & tamen eadem est P. Generalis, nostrorūq; omnium, qui sunt hic Romæ, Mediolani, Mutuæ, vbi aliquamdiu commoratus est, de eo opinio. Dicendum ne sit quod superest, equidem dubito. metuo enim, ne vt nostram, ita & tuam lætitiam minuat. tamen, quo te, vt pio, eo votafacias extimulem, non reticebo. Scito ergo nihil illi naturalium, vel cœlestium bonorū deesse, præter valetudinem, cuius ea est imbecillitas, vt vel ipse aspectus ipsius nos extimefaciat. Vno vel altero item die, prius quam in Societatis domum introiret, laborare cœpit è pectore. Affert huius causam, è qua pietatis studium eius cognoscas licet. narrat se in eam consuetudinem venisse, vt sexta quaq; feria, aqua & pane nudo, victū tolerare: eam cum proxima etiam superiore sexta feria tenuisset, atq; insuper postridiè profectus in palatium, quò aditum haberet ad Pontificem, cui pedes de more osculatum venerat, ad horam alteram & vigesimam ieiunus durauisset, vehementer debilitatum esse. Vt vt sit, si curatio vlla opē afferre poterit, mandato P. Generalis quicquid diligentia & solicitudine prouideri licebit, adhibebitur.

bitur. iamq; id fieri cœptum est. ac fortasse, fortasse? imò procul dubio, valebit melius Societatis cura ipsum temperante, quàm effreni & præcipiti illo æstu absorbente. Itaq; Deum pro illo precare, neque dubita, quin si vita illi & sanitas suppeditet, egregijs illum olim, pro Dei gloria, Societatisq; nomine, facinoribus florentem sis visurus. Hæc omnia (tametsi non pauca ad exemplum salutaria prætermij) ideò pluribus exposui, vt latitiam, quæ per hos dies profectò tanta fuit omnium nostrum, vt nulla propè alia de re sermo esset, tecum communicarem. Hac tamen conditione, vt hoc gaudium, quod tibi attuli, Deum orando compenses, vt me tot præclarorum hominum, quos quotidiè ad hanc sanctam Societatem vocat, vt eam veluti gemmis quibusdam insigniat, sacra necessitudine, atq; imitatione dignũ præstet. Deus tibi benedicat. Romæ III. Kalẽd. Nouemb. M. D. LXXXV.

Tuus in Christo frater, & seruus:
Hieronymus Platus.

Has litteras cùm scriberet Pater, necdũ illum intus nôrat, quàm tamen magnificis ab eo laudib⁹ efferatur quiuis intelligit. At simul confitenti operam dare, deq; diuinis rebus, atq; interioris animi rationibus cum eo sermones habere ingressus est, ea omnia singillatim exquisiuit ex ipso; quę, vt in huius operis procœmio narratum est, scriptis prodidit; Tantamque in hoc adolescente

innocentiam, tantum rerum diuinarum
scientiæ lumen, tantam plenæ sanctitatis
sublimitatem comperit, vt ex eo velut quę-
dam è Diuorũ numero coluerit, & quotiẽ
in eius mentionem venit, apud omnes ijsdẽ
laudibus ornarit. Sed tum præcipuè cum a-
liquando cum patre quodam de cœlesti bea-
atitudine differens, affirmasset cœlites, qui
ea perfruuntur, vsque eò Deĩ, quem cogno-
scunt & intuentur, voluntati accommoda-
re se, & quodammodo in eam migrare, vt
nisi quod amet & velit Deus, nihil amen
aut velint; adiunxit, huius sibi exemplum
videri in Ludouico nostro elucere, in cui
mente, inquit, cum cœlestes illi Deũ iucun-
dissime acquiescere sentiant, obsequuntur
& ipsi huic numinis voluntati, totosq; se in
eo immortalibus donis & muneribus ex
ornando, meritis cumulando, commenda-
tione tuendo sic collocant, vt cum eum
gratiosum apud Deũ Diuosq;, atque omn
virtute, & naturæ captu maiori decor
effertum intueor, illi mihi certatim, quan
maximis eũ beneficijs vincire videantur. I
dem Platus cùm iter aliquando Senis habe
ret, huiusq; adolescentis præcellẽtes virtu
tes celebraret, Patri cuidam affirmauit, mi
rũ sibi videri: quòd pro tam illustri sancti
tate, quã elucentem in eo videret, multa
manifesta miracula non ederet. Memori
tenea

teneo audire me Bellarminum Cardinalẽ idem sibi admirationem mouere prædicãtem, tàm inusitatam integritatem vitæ diuinis adhuc, quæ quidem scirentur, ostentis caruisse. Mansit in ea domo diutius Ludouicus quam cæteri tyrones soleant. Prima luce quotidie hora piè meditando exacta, ad sacrum vestiarium se cõferebat, neque inde, nisi postquã quinis senisue sacris, propensa admodum pietate, cœlestiq; gaudio ministrasset, pedem referebat domum. Tãtam capiebat suorum sociorum, atq; inprimis duorum, qui infirmiori valetudine videbantur, misericordiam, vt Præsides admoneret, eos suæ sanitatis negligentiores esse, ac nimis multis sacrificijs seruire. Tempus, quod inter duo Sacra intercedebat, tacitus ac ne verbo quidem quemquam compellans, in angulo quopiam residens, modo ritè commentando, aut preces Virgini Matri ferendo, nonnunquam libros sacros legendo consumebat. AEdituum, si qua de re monendus, aut consulendus esset aperto capite, iunctis ante pectus manibus, adibat, coramque astans, tàm reuerenter ac submissè alloquebatur, vt verecundiorem illum faceret. Mandata tùm ipsius, tùm sociorum eius, non minùs promptè, accuratèque exhauriebat, quàm sià Christo D. N. data essent. Feria quin-

ta maioris hebdomadæ negotium ei dederat ædituus, vt ad cenotaphium Christi ardentes lucernas curaret. Ibi cùm diu astitisset, nunquam tamen ad aspicienda ornamenta, apparatumque loci, qui sua venustate magnam populi vim contraxerat, oculos sustulit. ergo sciscitanti postea socio, ecquid ei cenotaphium arrisisset, negauit se vidisse. Neque enim sibi visum esse licere, quando aliud ab ædituo in mandatis haberet. Aduersus tyronem deinde, cuius modicum illud in ceteros imperium erat, tantam reuerentiam, obseruantiamque adhibebat, vt ne Præpositum quidem ipsum Generalem maiori colere posset. Prætereunti siquidem assurgebat, caput aperiebat, omne honoris genus habebat, donec ille, qui pro suo pudore, tantum dignationis ferre non poterat, Præsidi quereretur, isque ALOYSIO præciperet, vt modum suo officio statueret. quod & fecit. Neque mirum est tantum illis honoris detulisse, dictoque audientem fuisse, quoniam non eum cui obediebat, sed cuius vicem gereret spectabat, & iubentis vocem, tanquam Dei, non hominis vocem interpretabatur. Quod non solum iccircò se facere aiebat, vt maiorem à Deo gratiam iniret, sed etiam quòd melius sibi esset, cogitare Christum sibi loqui,

nonnul-

nonnullamque ei seruiendi occasionem dari. Adijciebat iucundius se ijs, qui inferiorē subditamque maioribus, quàm qui supremam, atque à nullo pendentem potestatem gererent, parere, neque id tàm humilitatis studio, quàm quadā, vt ipse appellabat, superbia. etenim si humano iudicio res pēdatur, ægrè quidem hominem vt in hominis, præsertim si neque genere, neque naturæ, fortunæq; dotibus par sit, potestatē sponte veniat, adductū iri. At verò Deo, aut, q̄ idē est, homini vicē Dei fungēti semet subijcere rem esse longè glorioſissimā. id verò tāto luculētius eminere, quò minus in eo humanus sensus dominetur, paucioraque sint in eo, qui imperat, ornamenta, quæ hominum animos ad se conuertere, & rapere possint. Elapsis antemeridianis horis, tyrones qui in illa domo degunt, inuicem se conferunt; hi ad legendum, alius super priorem, alius super posteriorem mensam; illi ad obeunda culinæ munia. Cum ALOYSIO obtigisset, vt ipse quoque his ministerijs vacaret, pari in ijs, quamuis humilibus, voluptate versabatur atque si eo loco natus, eoque iure esset, cui insita quadam naturæ vi illorum studium congrueret. Anagnostes factus, consideratus in legendo, ac minimè præceps fuit. Succurrit autem quondam;

vt interea nescio quis strepitus fieret in triclinio, dum legeret, sic vt minus ab alijs exaudiri posset. Nactus hanc occasionem Tyro ille, qui ceteris erat impositus, id ad eum reprehendendum arripuit, quòd eius vitio Patres, ac Fratres lectionis fructu ea mensa caruissent. atque damnum hoc spirituale (sic enim, vt eum experiretur, nominabat) multis verbis exaggerauit. Hic ALOYSIVS, qua erat patientia, nihil excusare, veniam orare, emendaturum se polliceri, ac deinde, quò illius socij spirituale damnum resarciret, quod iam legerat, de industria iterare. P. Hieronymus Platus, qui tantopere eum orationi, mentisque actionibus deditum sentiebat, eius nonnihil auocandi causa, imperarat, vti à prandio ac cœna, non vnam modò horam, vt assolet, sed semis præterea, cum ijs, qui posteriori mensæ interfuerant, animum sermone remitteret. Ipse etsi prius cibum ceperat, mandato satisfecit. At minister huius ignarus, inter eos qui altero congressu se oblectabant repertum, palàm in triclinio reum semet facere, ac pœnas dare iubet violatæ legis de silentio, extra horam, quæ proximè mẽsam consequitur, agendo. Fecit ille, quod pœnæ nomine impositũ est, nulla excusatione vsus, neq; vlla dati à Præside mã-

dati

dati mentione facta, & continuò alterius etiam remissionis, vt erat iussus, particeps esse perrexit. Eo comperto admiratio Ministrum tenuit, deinde iterum ad pœnam vocat. neque ille aut detrectat aut caussam vllam dicit. Secundum mensam accersitum ad se P. Platus admonet, in socios offendisse, quòd etiamnum tyro, ob eandem culpam geminata pœna mulctatus esset. Rogauit deinde quid ita Ministro non indicasset, maiorum concessu id se facere? Respondit ille venisse sibi ité in mentem, silentium suum fortasse alijs prauo exemplo futurum, verum quòd metueret, ne amor in seipsum, superioris veniam ac mandatum, quo illa lege solutus erat, excusando, se in aliquam fraudem impelleret, obstinasse, re dissimulatione trãsmissa, pœnam iterum etiam subire, &, si quid præterea Minister mouisset, ne cui tacendo offendiculo esset, quid in mandatis haberet, aperire. Valebat plurimum ad aliorum animos accendendos, cernere quàm parato, patientiq; animo animaduersiones sustineret, quãta alacritate quicquid grauius de se, nullo licet suo vel culpæ vel negligentiæ (quæ duo aut nunquam, aut certè perrarò in eo reperiebantur) merito statutum esset, persolueret. Quinimmò sæpenumero euenit, vt quod alij deliquerant,

ipse per errorem insimulatus, libens, nihilque pro se caussatus proinde ac si culpam sustineret, plecteretur. at non diu latebat, ijs qui in culpa erant, cùm illum puniri viderent, certatim sui abijciendi studio, de contracta noxa profitentibus. Reliquo die solebat quempiam Patrem ad carceres, aut valetudinaria, quò eius domus Sacerdotibus pœnitentiæ administris mos est itare quot hebdomadis sæpius, comitari, atque interea dum ille vinctis aut ægris confitentibus sui copiam facit, ipse cæteros de Christianæ fidei capitibus, aut ratione obeundæ pœnitentiæ erudire Quando domi manebat, ea euerrenda, alijsque similibus humilibus ministerijs distinebatur. Cùm aliquando vnà cum suis socijs in solario lintea, quæ è lauatrina eò delata, aruerant, complicaret, redijt in memoriam, nihil se eo die, vt quotidie soleret, in D. Bernardo legisse. Subijt ergo, postquam aliquamdiu id egerat, cupiditas suæ pietati satisfaciendi. Ac licebat illi quidem, vt & cæteris tyronibus, vbi aliquid temporis illi operi dederint, impunè discedere. at ille vbi suis cogitationibus ita respondit; D. *Bernardus, si eum legeres, quid aliud te doceret, quàm obedientiam? Fac igitur iam te legisse, & obedientiam adhibe*; hoc desiderium deposuit. Legibus omnibus, quan-

tum-

tumuis minimæ notę, tã ſtudiosè parebat, vt nullius hominis quacumque dignitate præditi gratia eas migraret. Fuit cum Illuſtriſſimo Cardinali Roberto propinquo ſuo in templi veſtiarium eius viſendi cauſſa venienti ſe excuſans negaret poteſtatem ſibi eſſe cum eo loquendi. qua ille excuſatione recreatus non prius cum eo ſermonem contulit, quàm à P. Generali permiſſum eſſet. Denique tàm erat in omni officij munere perfectus, tã recti & ſalubris omnibus exempli, vt in omnium, qui in ea domo erant, ſinu habitaret, atque adoleſcens Sanctus audiret. Duobus ibi menſibus exactis in domum tyronum D. Andreæ reuocatur.

Caput Tertium.

Quemadmodum reliquum tyrocinij tempus traduxerit deque ſingulari eius precandi facultate.

REuerſus ad tyrocinij ſedem Aloysius, quę eſt ad D. Andreę, præſtãtibus Patrum, quos in Profeſſorum Domo viderat, exemplis plurimũ ad ſtudia virtutis arrectus, primùm de omnibus, quę dum abeſſet, intus in animo ſuo geſta eſſẽt, tyronum

num Magistrum certiorem fecit, deinde flagrantiore quàm aliàs vnquam animo & cura exercendis tyronum muneribus se dedidit. Erat autem omnis officij sui adeò benegerens & accuratus, vt non modò nihil alij in eo delicti notarent, sed ne ipse quidem, qui suas res omnes obseruare, ac non solùm actiones, sed cogitationes ipsas suas excutere diligentissimè solebat, quicquam in se reprehensione dignum reperiret. Id adeò compertum est, cùm aliquando tyronum Magistro scrupulum, qui se vehementer exerceret, eximendum proposuit, cùm narraret, se quamuis omnem diligentiam in explorando penitùs animo suo cõsumeret, nihil tamen in eo animaduertere posse, quod vel inter venialia errata reponendum esset. Id verò esse, quòd grauiter maceretur; vereri enim, ne ex eo id existat, quòd parum se norit, atque adeò ne interiores illæ tenebræ menti suæ sint offusæ, quas sæpe audisset, & verò etiam legisset grande ei periculum creare, atque ex hoc, quanta fuerit mentis eius puritas, facile colligi licet. Ad hanc, præsidio erant cõplures animi dotes, quarum nonnullas hoc loco exequar, ne cuiquam incredibile sit, tantam eum conscientiæ integritatem, atq; munditiem tueri potuisse. Principiò diuturno studio, quod à prima pueritia in e-

doman-

domandis affectionibus animi posuerat, & comparato inde habitu eò iam euaserat, vt neque perturbari animus, neq; vllo rerum mortalium sensu, vel primis cupiditatum motibus concitari videretur. Certè complures quos, dum Religionem coleret, in vsu habuit, iurati testificantur non modò nunquam ab se illum in vllo errato, quod vel venialis instar haberet, compertum esse, sed ne indicium quidem vllum animi vel repentinò, atq; inconsulta ratione, ira, aut impatientia aut alia quauis ægritudine agitati aliquando dedisse. Quæ vacuitas ab insolenti omni affectu, tãto plus habet admirabilitatis, quod, vt aliàs diximus, minimè ex hebeti natura proficiscereturr, quippecùm, præterquam quòd adolescentia, & multo sanguine calidus, etiam sagaci, &, supra ætatis captum, perspicaci ingenio esset. sed nimirum præcipuæ Dei gratiæ, & habitibus excellentium virtutum accepta ferenda est, ad quos illum perpetua meditatio, exercitatioque frænandi sui, & rationis, cælestisque doctrinæ gyrum ducendi perduxerat. Accedebat, quòd in agendo non affectum, qui sæpe vltra rationis fines hominem agit præcipitem, sed lucem, prouisionemque mentis ducem sequebatur. Itaque, aiebat, qui à passionibus gubernetur, crebris erroribus obnoxium esse. Neque

que verò in ſociorum congreſſibus, ac circulis vnquam cupiditate vincẽdi ad inanes pugnas verborum deſcendebat, ſed animi ſui ſenſu ingenuè patefacto, ſi erat qui contradiceret, non repugnabat, niſi quid interdum, vt patrocinaretur veritati, blando ſermone, ſedatoque animo ſimpliciter reſpondendũ videretur, quod ſi alter pertenderet, quaſi de re nihil ad ſe pertinente cõticeſcebat. Adhęc deſiderium omne nõ modo indifferens, ſed, quod maius eſt, bonũ etiam, ac Sanctum, quod modò vel tantillũ pacatum, quietũq; animi ſtatũ turbarè, & ſuperuacuas ſolicitudines accerſere poſſet, omni ſtudio eijciebat. quamobrem mens illi perpetuo quodã otio, & tranquillitate, quæ diuturno vſu quodãmodo iam in naturam verterat, fruebatur. Adiumẽto præterea illi erat, quãtum nihil quicquam, quod Deum non modò ſibi ante mentis oculos inter actiones omnes aſſiduò ponebat, cuius gratia nihil ſuſcipiebat, quod nõ omni induſtria elaboraret; verùm etiam, quod ei perpetuo orationis vſu cõſociatus erat. In qua oratione tantum ſtudij collocabat, quaſi in ea ſpes omnis ſita eſſet perfectæ ſanctitatis parandæ. Negabat fieri poſſe, vt qui precandi, ſuique colligendi minùs ſtudioſus ſit, plena vnquam, & diuturna de ſeipſo victoria vtatur, aut ad excelſio-

celsiorem absolutæ, eximiæque virtutis, & sapientiæ gradum aspiret. id quod experiẽtia ipsa satis ostendit. ergò illam quorundam, qui religionem profitẽtur, animi impotentiam, illos turbidos, concitatosque motus, illud fastidium, neglectæ meditationis sacræ, orationisq; consuetudini ferebat acceptum. Hanc ille compendiariam, & proximam ad perfectam virtutem viam esse dicebat, idque omnibus persuasissimum cupiebat esse. neque enim dubitabat, quin eius suauitate degustata, nemo sit futurus, qui ab ea se diuelli patiatur. Quorundam mirabatur, miserabaturque socordiã, qui vbi necessarijs occupationibus intenti, fortè otium salutaria de more meditandi interdum minus habuerint, sensim, cõsuetudine quadam, hoc diuinum exercitium, etiam cũ opportunitate, temporeq; maximè abundant, intermittunt. At ipse adeò toto animo se illi dediderat, vt omnes ipsius delitię eo tempore, quo comprecandũ, aut meditandum erat cõtineri viderentur. Atq; ex ijs, quæ longo vsu in seipso compererat hausit pręclarissima quędã ritè meditandi præcepta. Itaque P. Robertus Bellarminus, qui nunc est in numero Purpuratorum Patrum cùm in Collegio Romano capita meditationũ, quæ in libello exercitiorum spiritualium Societatis, descripta

sunt,

sunt, compluribus, qui ibidem in studijs e laborant, explicaret, præclaro aliquo recte meditandi documento tradito, adiungere solebat: Hoc se ab ALOYSIO nostro didicisse. Præparabat animum per diligenter, lectis quartam horæ partem minimum dimidiatam, certis, de quibus postridie commentaretur, locis. Vbi diluxerat, dabat operam, vt aliquantò ante ad meditationem accinctus esset, quàm eius ordiendæ signum daretur. quo tempore collecti animum ad tranquillitatem componere, & cura, appetitioneq; omni alia soluere nitebatur. Neque enim fieri posse aiebat, quin mens alias res agat, Deiq; imaginem, cui se, meditando contemplandoque, quã simillimam esse studere debet, in se recusset exprimere, dum interea solicitudine, vel amore, vel cupiditate cuiusquam alterius rei teneatur. Memini me illum audire, cùm in eandem sententiam hac similitudine vteretur. Quemadmodum agitata ventis aqua, astãtis hominis effigiem vel quòd turbida sit omnino nõ ostendit, vel, si limpida est, nõ membra omnia trunco hærentia, sed seorsim quasi cõcisa, & dispersa repræsentat: ita etiam hominis animum, qui inter contemplandum contrarijs perturbationum flatibus conflictetur, aut affectibus desiderijsque commotus rapiatur,

negabat,

negabat, ad imaginem Dei referendam, aut vllam tantæ maiestatis, quam considerat similitudinem arripiendam vllo modo aptũ aut ritè præparatũ esse. Dato orandi signo, quanta maxima poterat reuerentia ante suum paupertinum oratorium procedebat in genua; tantaque industria in mente, ne quam in aliam curam dilaberetur, arcenda euigilabat, vt huius gratia ne spuendi quidem necessitati parere sustineret. Totum se dabat cogitationi eorum, quæ ad meditandum erant proposita, & confluente, vehementi cõtentione mentis, ad superiora vitali spiritu, ac sanguine, ima membra tanta debilitas & frigus occupabat, vt finita oratione, pedibus nequiret consistere. Accidebat etiam non rarò, vt postquã ab ea surrexerat, alienata aliquamdiu à sensibus mente, ne locum quidem, in quo constiterat, agnosceret. quod tum præcipuè vsuveniebat, cùm illa Deo attributa elogia, bonitatem, prouidentiam, amorem aduersus homines, & horum omnium inprimis infinitatem, colluſtrabat animo. tunc enim longius abducebatur à sensibus. Inter precandum tantam habebat lacrymarum facultatem, ac tam largè eas funditabat, vt necesse fuerit Præsides, metu ne, ex hac copia caput, atque oculi detrimentum caperent, aliquam eas inhi-

bendi viam inire. verùm nullo vnquam remedio profectum est. Admirabilius verò est, cuius tum alij eius confessionũ arbitri, tum Bellarminus Cardinalis est testis, quòd ab instituta oratione nunquam ferè eius animus aberrare sit solitus; quod, quâ sit eximium Dei munus, facile quilibet ex eo, quod ipse inter orandum experitur, assequetur. Hanc tam certam mentis in res sacras intendendæ potestatem, non sola Dei gratia consecutus erat, sed ex eo præterea, quòd longinqua meditatione, atq; vsu vim animi, qua remota etiam in se comprehendit, atque cogitatione depingit, vsque adeò pronam obedientemq; sibi fecerat, vt nullius, nisi quod commodum esset, veniret in mentem. In ea verò cogitatione, quam suscepisset, tam valde, quoties lubebat, configebat animum, vt quæ ab alijs dicerentur, aut fierent, sensum nullum caperet, neque exinde ab vlla re ipsi, auertendæ mentis periculum erat. Etsi in domo tyronum quotidie, atque, ad idem prope exemplum, in collegijs, conclauia omnia lustrentur, quò exploratum sit omnesne statis horis, precibus vacent, tamen, quamdiu in Religione vixit, nunquam ad se quenquam, inspiciendi gratia, venisse sensit. Quod sanè, quàm id temporis remotus à sensu, & commentando abstra-

do astrictus fuerit, notabile indicium est. Lege sancitum est, vt quiuis de Societate, cùm ineunte tyrocinij tempore, tum reliqua ætate, sexto quoque mense non delicta modò, sed dona etiam, gratiam, virtutes haustas diuinitùs, omnia denique conscientiæ arcana Præsidi suo patefaciat: nimirum vt ille, cuius est cæteros consilijs suis gubernare, de omnibus edoctus, paternum in modum, finem & modum transeuntes refrænet, incautos fraudibus, quarum in arctiore vita frequens occasio est, liberet, omnibus denique suæ fidei creditis, ad progressiones, in perfecta viuendi ratione faciendas, viam muniat. Hoc verò est, vnde complures Beati ALOYSII virtutes patuerunt. studio siquidem parendi legi, atq; ex Maiorum præscripto dirigendi sui, mirifico candore, & synceritate Superioribus suis, & melioris vitæ parentibus, quid in suo pectore agitaretur à Deo, detegebat. Id adeò diligenter obseruandum est, ne cuiquã mirum videatur, quòd complures virtutes suas prodiderit. huc enim, cæteroqui minimum ipsum de se loqui solitum, maioribus, legiq́ue obediendi studium adigebat. Cùm ergo quõdam Rectori interiorem animi sui notam patefaceret, percunctanti, ecquid, inter oran-

dum, cogitatione interdum ad alias res abſtraheretur, reſpõdit ingenuè: Si cogitationes omnes alienæ, quæ ſuam ſex illis menſibus vnquam precantis, meditantis, incõſcientiam inquirentis, mentem remoratæ eſſent, in vnum cogerentur, eam omnem moram, ſpatium, quo ſalutatio Angelica recitari poſſet, non æquaturam. In orationibus, quæ pronunciationem deſiderant, maior ei difficultas erat, non quidem, quòd inter eas quicquã aliud tractaret animo, ſed quòd minus expedite & appoſitè pſalmorum, aut aliorum, qui recitabat, ſententiam aſſequeretur. Itaque ſibi tum euenire aiebat, quod homini pro obſeratis foribus ſtanti, qui neque ingredi poſſit, neque aliò digredi velit. Cæteroquin, in hoc etiam precandi genere, vehementi rerum cæleſtium ſenſu ac voluptate affluebat: præcipuè, in legendis pſalmis, è quibus pios animi affectus, quorum vberem illi ſegetem præſtant, induebat. Qui quidem interdum tam erant incitati, vt ægrè, & vi nonnulla verba proferret. itaque quando profectus illi pietate, tyrocinij tempore, preces Canonicas, Sacerdotum more, recitandi conſuetudo erat, matutinis minimùm horam totam tribuebat. Quòd ad meditationis materiam, in conſideratione ſuppli-

ciorum

ciorum, ac cædis Christi D. N. plurimum acquiescebat, diuinasque ex ea iucunditates capiebat. Eiusdem memoriam quotidiè refricabat quadam breui antiphona, sub meridiem pronuncianda, & Christo crucifixo cogitando. Quod ille tàm liquido pietatis sensu, intentoque animo faciebat, vt se quotidie manifestò temporis illius, quod feria sexta sanctioris hebdomadæ colitur, sanctitatem præ oculis habere diceret. Quantum ex sacræ Eucharistiæ meditatione animi, solatijque cælestis hauriret, iam supra dictum est. Sanctos Angelos, ac præcipuè tutelarem suum, singulari quadam obseruantia colebat, & iucundè speculabatur. Quo tempore, quàm Deus illustres de his liberis ab omni concretione mentibus, eius menti sententias subijceret, testis est prolixa illa iuxtà, ac elegans meditatio de Angelis, quam P. Vincentius Brunus in alteram partem suarum meditationum retulit, & Andreas Victorellus Doctor, in eruditis suis libris, de custodia Angelorum, non sine laude citauit. quæ quidem tota siue verba spectes, seu sententiam est Beati ALOYSII partus. Narrauit enim ipse P. Vincentius, se qui non esset nescius, illum sanctos Angelos præcipua pietate complecti,

negotium de industria dediſſe, vt quid de iis ſentiret, ſcriptum faceret. Eſt penes me ſcheda Beati ALOYSII manu, nuper, inter alias, reperta, in qua ſeorſim de Angelis hæc annotat.

Officia pietatis erga Angelos generatim. Finges animo te nouem Angelorum choris Deum comprecantibus, & Hymnum illum: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miserere nobis, canentibus mixtum esse, quem proinde Hymnum tu quoque nonies iterabis, & cum illorum precibus, tuas coniunges.

Angelo custodi tuo ter inprimis quotidie curam commendabis. Mane, & vesperi recitando precem: Angele Dei. atque interdiu cum in Aedem sacram, circum aras supplicatum, te confers.

Persuasum habe perinde te Angeli ductum sequi oportere, atq; cæcum quempiam qui viarum discrimina ignorans, eius qui baculo gressum ipse suus regit, prouidentiæ in omnibus confidit. Haec ipse.

Denique veriſſimè mihi videor confirmare poſſe, vitam eius Religioſam, perpetuam quandam orationem fuiſſe. ſiquidem tot iam annorum orandi, mentemq; a ſenſibilibus abducendi vſu, eiuſmodi habitum conſecutus, vt vbi vbi eſſet, quicquid rerum gereret, animus illi potius

ijs esset quę mente tãtùm, quam quę etiam sensu vsurpantur. Quid quod in eum iam statum deuenerat, vt vix ipsis sensibus vt oculis ad videndum, auribus ad audiendum vteretur. adeò se totum ab illis ad interiora conuerterat. in his solis acquiescebat, hæc in oblectamentis habebat, ab his, si quæ illum cuiuslibet vtilitatis ratio distraxisset, omnibus licet, quæ res poscerer, tentatis, tamẽ parem animo molestiam capiebat, atque si aliquod ei membrum luxatum esset. Quamobrem nihil erat ei procliuius, quàm totum diem inter medias vel corporis occupationes Deo cogitatione deuinctum esse, animum collectum, atq; hoc agentem retinere, nihil difficilius quã eundem dissipare. Certè quondam fassus ipse est, quantam alijs difficultatem, vt ipsi prædicant, habere videatur mentem in Deo defigere, haud minorẽ sibi esse in auocanda. Quamdiu enim sibi ipsi imperare conabatur, ne de Deo cogitaret, vehementi vi conflictabatur, cùm necessariò secum ipse dimicaret. qua dimicationis vi, atq; impetu maiorẽ valetudinis iacturam, quã ipsa continua Dei consideratione faciebat. Interdiu, ne districto quidẽ maximè occupationibus, Deus illabi, & cor vberrimis delectationibus perfũdere abstinebat, neq; sanè breuibus, sed, quę interdũ amplius horã tenebãt.

Quæ quidem ita complebant animum, vt in corpus redundantes, cæleſti quodam illud ardore ſuccenderent, quem ſatis ipſo vultus rubore prodebat. Nonnunquam verò cor illi ea flamma correptum, tàm crebro, & concitato motu palpitabat, atque emicabat in pectus, vt exſilire velle diceres. Hæc tot interna gaudia, quibus eius mens paſcebatur, ad eò omnem corporis curam exemerant, vt magis ac magis indies debilitaretur, extenuareturque, & capitis dolor, quem lenitum oportebat, ingraueſceret. cùm ergo Præſides, qui eum regebant, animaduerterent fieri non poſſe, vt, in tanta contentione animi, diu viueret, præſertim valetudine iampridem voluntarijs afflictationibus perturbata, omnis ei ieiunij, abſtinentię, flagelli, cęterarumque ſeueriorum pœnarum vſu interdixerunt: deinde ſomni tempus produxerunt, orationis contraxerunt, ademta primùm dimidiata, ac poſtmodum tota etiam hora, vetita inſuper frequenti breuium precum, quibus negotia diſpungere mos eſt, conſuetudine, ac denique denunciato, quo minus temporis precando conſumeret, hoc propius ad maiorum voluntatem acceſſurum. Adhęc, quò quàm longiſſimè abeſſet à meditationibus animi, varijs eum

manuum

manuum operis distinere studuerunt, ac denique crebris monitis auctores esse, vt quo sanitatis tuendæ caussa diligentiùs sibi temperaret, hoc magis se è Dei gloria facere crederet. Neque verò magni negotij fuit eum, qui multò obedientissimus, atque ad omnia paratissimus erat, in hanc mentem impellere, ac pro arbitrio fingere. Id vt liquidò ostenderet, hic casus tulit. Induxerat eum quidam Pater in spem à P. Generali impetrandi, vt ei quotidiè (quod, vt diximus, à Magistro tyronum vetitum erat) horam meditando transmittere liceret. Ipse cùm huius se licentiæ auidiorem sentiret, ac metueret, ne, ea non impetrata, commoueretur, ratus hunc animi impetum & moderationi, atque æquitati animi, quam subiecti maioribus præstare debeant, & mandato, quod habebat, aduersari, dedit operã sedulò, vt eum ex animo tolleret, seque ad pristinam tranquillitatem, & quasi æquilibritatem, reuocaret. Id vnum, illum pungebat, quòd nõ satis videbat quinam superiorum imperium facere posset, siquidem etsi laborabat, vt mentem suam de rerum diuinarum cogitatione deflecteret, furtim tamen, atque ex improuiso in eam redibat, ac resorbebatur. Nempe quemadmodum lapis medium mundi locum petit, sic eius animus, quasi insita quadam vi in Deo ac-

quieſceret, ab eo vi diuulſus, eôdem, velut ad centrum ſuum, rapiebatur. Quondam ergo animi anxius, quòd Superiorum voluntati obſequi nõ poſſet, Sacerdoti, quo cũ illi interior vſus erat, confidenter: Equidẽ, inquit, quid agam neſcio: *Vetat me P. Rectorationi vacare, ne contentione mentis caput lædam, at ego grauiùs fatigor, ac torqueor, dum à Dei cogitatione animum ſeuocare ſtudeo, quàm ſi aſſiduò in eam coner intendere, quod quidem vſu in naturam quodammodo transijt, neq; iam labor, ſed requies & ſolatium eſt. Enitar tamen, vt, quod mihi imperatur, quàm optimè licebit, perficiã.* Vbi ſibi omne orationis genus interdictum vidit, eius loco creberrimè in templi Odeum aſcendere ſanctiſſimæ Euchariſtiæ adorandæ. Ibi ſimul acciderat in genua, confeſtim ſurgere, ac ne qua cogitatione à ſenſibus abriperetur in Deum, diſtinereturue, inde ſe curriculò proripere. Verùm hac diligentia parum proficiebat. Quò enim obediendi amore magis inſiſtebat fugere, hoc Deus illum acriùs conſequi, ſuiq́ue copiam illi facere, & pectus illuſtrationibus, delicijſq́ue cæleſtibus totum permulcere. quas ille ſentiẽs, ne Superiorum mandata frangeret, recuſabat ſcilicet, ſubmiſſoq́ue animo Deum alloquens: *Recede à me Domine, aiebat, recede à me.* Non mediocris item illi negotij erat, ſenſus corporis

poris ad sua munera fungenda conuerterẽ. Simul enim mens eius in Deum rapiebatur, neque oculis, neque auribus competebat. Per hanc sanctimoniam, excelsitatemque virtutis vsque ad exeuntem Octobrem anni M.D.LXXXVI. in tyronum domo, ad Aedem D. Andreæ, versatus est, summa cũ admiratione Præsidum, qui eius animum dirigebant, & singulari fructu, progressioneque æqualium, qui, vt eius verbis meliores quotidie fierent, & exemplis, certatim eius consuetudinem appetebant.

CAPVT QVARTVM.

DE INSIGNI SANCTITATE Magistri, sub quo tyrocinium posuit, quã ipse æmulabatur. atque vt, cum eodem Neapolim profectus, complures menses ibi moratus sit.

QVo tempore B. ALOYSIVS Romæ in Quirinali in tyronum domo ad ædem D. Andreæ religionis suæ tyrociniũ ponebat, administrabat eã domũ, & tyrones probabat P. Ioannes Baptista Piscator Nouariensis admirabili sanctitate vir, & in excel-

excellenti Philosophiæ Christianæ gradu positus, cui raræ cuiusdam virtutis, ac bonitatis tot alumni, atque in diuiniore vita filij, qui tanto magistro ac duce gloriantur, certum testimonium tribuunt. Erat hic diuinitùs fortunatus vir in corpore suo assidua abstinentia, crebris ieiunijs, asperis cilicijs, & flagris, diuturnisque vigilijs macerando perquam rigidus. Quæ etsi clam maximè omnibus facere studeret, fieri tamen non poterat, vt tot filios suos, qui intentis, obseruandi, & æmulandi studio, in illum oculis inhiabant, omninò falleret. Dum sederet, staret, ingrederetur ad eum modum vestes, vultum, totum exteriorem habitum conformabat, vt illustre quoddam modestiæ specimen appareret. Vultus iucundè semper serenus: os ad modicum, placidumque risum compositum, qui turbatum aspicientis animum pacare posset. Nullo vnquam ille casu siue læto, seu siniſtro colorem mutasse visus est, nunquam vultus tranquillitatem posuisse, nunquam tristitia cótractu, nunquam inani hilaritate elatus. Idem vbique tenor index edomitorum affectuum, & pacis tranquillitatisque internæ, qua assiduò fruebatur, vnde ne minimum quidem impatientis, aut iracundi animi signum existeret. Seipsum, quantum neminem quemquam, despicatui ducere, humil-

humillimè de seipso sentire, quicquid ageret, pro vili se gerere. Incredibile memoratu, quanto precandi studio flagraret. quantū verò in eo, Dei beneficio, valeret, illud est argumento, quòd aliquando nocte, cùm ceteri quietem caperent, in media tyronū exedra, repertus sit orationi intentus, cùm è terra aliquot palmorum interuallo, diuina vi sublatus, pēderet in aēre. id quod mihi pater, qui in illo mun ere ei succesſit, testificatus est, & in litteris Societatis anni M.D.XCI. typis mandatum est, in quibus, vbi de Collegio Neapolitano agitur, complures huius viri virtutes celebrantur. Obseruabat perquàm studiosè præcepta religiosè viuendi, quæ à D. Basilio sunt tradita: Collationum Ioannis Cassiani Abbatis tanto studio ducebatur, vt eas propè totas memoria teneret. Incumbebat verò toto animo ad ea, quæ à veteribus illis Patribus sāctitate conspicuis præcepta esse legebat, factis singillatim persequenda. In verbis suprà quàm credibile est consideratus, & parcus. itaque nullum vnquam eius verbum quenquam læsit, nullum non recti exempli fuit. In cōgressionibus nihil illo dulcis, sermonem argutè dictis, & leporibus, intra religiosum modum, condiebat, de quibus erat omnibus mirificè amabilis. In pauperes, qui mendicatò victitant, atque imprimis

mis, quos pudor detinet, tãta misericordia, vt ijs tegendis, suum sibi vestitum detraxisse legatur. Iam in gubernandis subditis seueritatem facilitas temperabat: & grauitati affabilitatem, honorisque cõtemptum admirabili arte iungebat. Ita veneratioi omnibus erat, nemini molestiæ. Ardebat caritate in omnes. tyronum verò ea cura, & solicitudo, vt singulorum Pater, Mater, Nutrix audire posset. Illorũ errata sedato, & æquo animo, tantisper, dum eorum mẽtes quemadmodum destinabat, conformauisset, exsorbere. Nullius vitij, aut delicti causa cuiquã acerbus esse, nõ offensũ, incẽsumq; animum, non pristinã de reo opinionẽ mutatam, non seuerius aliquod de eo factum, reconditũq; animo iudiciũ significare. Quinpotius nõ sine egregijs beneuolẽtię notis admonere suauiter, interdũ modico risu, quo admoniti verecundiã subleuaret, ostenderetq; errorẽ nõ tanti sibi videri. Adhęc addere animos, solari, neminẽ, nisi aut alloquio leuatũ, aut hortatione excitatum ab se dimittere. Facilitate quadam plena caritatis tot diuersis ingenijs seruire, vt in eũ caderet illud: Omnibus omnia factꝰ sum, vt omnes Christo lucrifaciam. Siquidem satis gnarus ægrè omnes eadem semita duci cuilibet, prout eius ferebat valetudo, vel indoles iter ad fastigium virtutis monstrabat:

strabat. Nolebat tyrones suos in quadam vultus, corporisq; superuacanea compositione, quã quarto post exactum tyrociniũ, die deposituri essent, studium suum omne conterere, sed auctor erat eam vt modestiã induerent, quam ætatem, in religione, cõseruatam vellent. deinde solidarum virtutum, & despicientiæ suiipsorum fundamẽta iacerent. Optabat tyrones, eos, qui prouecti iam in religione essent, reuereri, atque, vt verum esset, de ijs existimare. nimirum dicere solitus, tantum interesse inter tyrones, & eos qui iam in Collegijs bonis artibus operentur, quantum inter eos qui prima literarũ elemẽta condiscant, & qui Philosophorum doctrinas attigerint. Cum aliquot Sociorum centurijs, qui suum illi tyrocinium approbarunt, consuetudo mihi fuit, quorum omnium magnam sanctimoniæ eius opinionem esse comperi, plenumque laudis de gubernandi ratione iudicium. Nimirum summam aduersus vnumquemlibet caritatem, mãsuetudinem, facilitatem adhibebat, & (q̃ maioris etiam refert) vsq; eò eodẽ omnes ordine agebat, vt singuli vnicè ab eo se diligi crederent, neque suspicari possent quemquam, aut pluris fieri, aut amari vehementiùs. Quapropter impensè redamabatur, magnaque fiducia, in quauis necessitate, perfugium

fugium omnibus erat. tyronibus Religiosę vitæ rationem potiùs exemplo, quàm verbis, hortatuq; tradebat. quippe nihil iniungebat alijs, quod non ipse prior impleſſet, neque commiſit aliquando, vt à quoquam ab vllo officiorum genere, quamuis minimo, declinaſſe notari poſſet. Et ſermonibus, & litterarum monumentis multa de illo miraculis ſimilia feruntur. vt quodincendium, in quo reſtinguendo multi mortales aquam, operamque perdiderant, ſolo ſuo conſpectu ſopiuerit. quod ſubiectorũ ſuorũ abſentium facta intuendi, & ſecreta pectoris, penitusque cogitationes perſpiciendi vim diuinitùs habuerit. cuius rei non pauca exempla quæ Romæ, ac Neapoli euenerunt, à grauiſſimis Patribus hodieq; cõmemorantur. Iam indè ab anno M. D. LXXXII. fama eſt, dum valida quotidiani victus inopia tyronum domum premente, ipſe abditus in cubiculum, eius leuationẽ à Deo precibus expoſceret, ad fores veniſſe Angelum iuuenili ſpecie, & cùm ad ſeaccerſito Patri certã nummorũ ſummã, quæ inſtanti penuriæ ſubueniret, in manus dediſſet, eueſtigio ex oculis euanuiſſe. Harum rerum gratia in maxima apud omnes erat ſanctitatis gloria. ergo ipſe Neapoli cùm mox profecturus è vita, ſacrum viaticum accepiſſet, ex aſtantium mentibus, qui illo ex-

lo excessu, in eius, quem in Sanctorum numero ducebant, dicta factaq; intenti erant, hanc opinionem euellere conatus est. verũ quantò ille excellentiam virtutis suæ dissimulare contendit, tantò eius insignis modestia, despicientiaque gloriæ, edito in ipso è terris ad cœlos migraturi procinctu, tàm illustri eius exemplo, magis eluxit. Hunc Patrem tàm carum Deo præcipua reuerentia, atque amore obseruabat ALOYSIVS, non solum quòd superior esset, cuius gratia velut Dei vicarium habebat, verum etiam quòd eum tot ornatum virtutibus, omnibusque religionis numeris perfectum ac perpolitum videret, atque in eius vitam sicuti speculum intuens, exemplum ab eo sumebat. itaque dicta, factaque eius omnia auidè notabat, & corrigi ab eo, atq; erudiri studens, cũ eo de interiore omni animi sui statu consiliũ habebat. Patri verò vicissim volupe erat, in Aloysij, cuius mentẽ insignitè puram, ad accipiendam rerũ cœlestium disciplinã, appositissimam, & virtutibus, dotibusque diuinis refertam esse sentiebat, familiaritate versari. quas quidem virtutes ac dotes, si illi prius commendare posteritati licuisset, quàm fato fungeretur, haud sanè paulò de B. ALOYSIO pauciora nesciremus. Cũergò sub autumnum anni M. D. LXXXVI. hic pater

morbo tentatus sanguinem spuisset, ac Præpositus Generalis spe valetudinis restituendæ Neapolim eum mittere statuisset, scisci-tatus est, vt fit, ALOYSIVM. Velletne secum proficisci Neapolin? cui ALOYSIVS aliud nihil præterea cogitans, se verò libenter re-spondit, vbi deindè tẽpus aduenit vt se Pa-ter Roma moueret, placuit P. Generali vt tres tyrones, quorum esset infirma maxima valetudo secum duceret, experiendi causa, an mutato cœlo melius illis fieri posset. In his fuit ALOYSIVS noster, cuius grauibus capitis doloribus remedium quærebatur. Cognito proficiscendum sibi esse, angi ani-mo cœpit, & vereretur ne simpliciter affir-mãdo se libenter Patri comitaturũ, aliquã-mẽti ad id decernendũ attulisset. *Opor-bat enim*, inquit, *respõdere in præsidium potestu-te futurum, neq; vllũ eò inclinantis, aut abhorri-tis animi signum dare.* tametsi P. Generalem eius dictum, sed valetudinis, quam afflictã videbat, ratio permouerat. Quocirca ALO-YSIO visum est, non solum nulla in re de-inceps in alteram se partem propensiorem agere, verũ alijs etiam auctor esse, ne quic-quã velle se, aut nolle dicerent, sed æquabi-li ad omnia animo, è Superiorum auctori-tate penderent. Expositæ etiam complurib⁹ religione, quæ sibi iniecta esset, confirma-uit permolestum menti suæ esse, quic-

quam

quam ad arbitrium suum facere. At vbi iter decretum esse constitit, vehementer scilicet sibi de tali comitatu gauisus, cuidã è sodalibus: sibi, inquit, hoc iter gratũ futurũ, quòd è P. Piscatoris dictis ac factis, rationẽ discere percuperet, qua hominibus Societatis iter instituendum esset. Discesserunt Roma a.d. VI. Kal. Nouẽb. eiusdẽ anni, postquam eò ventum est, vbi iam è conspectu recedebat Roma, ad eam conuersus Aloysius, antiphonam *Petrus Apostolus, & Paulus Doctor gentium*, atque orationem de ijs Apostolis: *Deus cuius dextera*, insigni amoris, & pietatis sensu recitauit. P. Piscator, quod sãguinem vomuisset de Medicorũ cõsilio lectica vehebatur. ei cũ è tribus tyronibus vnũ socium accedere, reliquos duos equitare, oporteret, ALOYSIVS, quoad licuit, alteri comitum lectica cedere conatus est, fructum assiduæ multoque iucundissimæ cum suo religiosè viuendi magistro cõsuetudinis, suo in illos officio posthabens. Verùm ceteri, quod ei quippe incommodiore, vtenti valetudine, hoc alleuamento opus esse iudicarent, alium neminem lecticam subire sunt passi. At ipse in illa commoditatẽ rationem excogitauit, qua sibi molestiam faceret. nam cum togam suam in pilæ modum conuoluisset, eique insedisset, haud paul-

lò incommodiùs lectica, quàm equo vectus est. Iter omne recitandis vnà cum Patre canonicis precibus, longisque de diuinis rebus collocutionibus consumpsit. in ijs multa ex eo scifcitabatur, ac præceptis piè viuendi, præclarisque sententijs, quas ex eo eliciebat, quamplurimis pectus suum imbui studebat. Et Pater non ignarus in fœcundo se solo sementem facere, haud grauatè sese illi indicabat, tradebatque cœlestis Philosophiæ mysteria atque vsum, quem tot annis, dũ tyrones erudit, erat assecutus. In diuersorijs omni industria id agebat, vt opportuniora omnia socijs concederet, incredibili in eos amore & obsequio, sibi verò deterrimum quodq; sumeret. Itinere peracto, comitibus confirmauit, plus se paucis illis diebus familiariter agendo, longosque sermones cum Patre serẽdo, eiusq; facta omnia, ac morem cum seculo deditis hominibus versandi obseruando, quam multos mẽses in tyronũ domo desidẽdo profecisse. Neapolin attigerũt Kal. Nouẽ. quo tẽpore, cũ à gymnasij Magistris literarũ studia repeterẽtur, visum est Præsidibus, vti Aloysius, qui vt ante dictũ est, cæterã Philosophiã antè perdidicerat, quã seculi res abijceret, supremã eius partẽ, quæ reliqua erat, studeret. Atq; ille toto se animo ad imperata faciẽda contulit. Qui eo tempore Col-

legi

legiũ moderabatur vir se ipse asperè duriterq; tractare solitus, vbi hunc adolescentẽ eodem studio teneri comperit, lætatus sanè est eiq; exultanti, ac se fortunatum iam prędicanti, aliquantò crebriorem harum rerũ; quàm adhuc Romæ factum esset, potestatem facere cępit. Neapoli eximia in ea modestia, prudentia, contemnendi sui, maioribusq; obsequẽdi, atq; adeo omnis sanctimoniæ amore nituit. neq; quisquam de eo mentionem faciebat, quin quanti virtutem eius faceret, ostenderet. Eius certè philosophiæ Magister, cùm de ipsius actis nuper in Neapolitana diœcesi cognosceretur, his de eo verbis testimoniũ dixit. *B. ALOYSIVS bene mihi cognitus, atq; homo de se perquã submissè sentiens, suiq; contemptor esse visus est. Decedere omnibus, nullum cuiusquam despicationem tolerandi momentum prætermittere. Supra quã credibile est, seuerè in seipsum animaduertere: In pietatis officijs, in precibus, in Dei consuetudine multus esse. Legum Religionis obseruantissimus: nitoris conscientiæ amans, vt qui maximè. Accedebat ad vitæ laudem ingenium acre, atq; illustre, sed quod ab omni insolentia, & appetitu laudis abesset. quas quidem res eo compertas habeo, quod eum, dum Neapoli me audiret, egregiũ ac perpetuum harum artium specimen dedisse, non de alijs modò cognoui, sed ipse etiam oculis vsurpaui meis. itaque pro eius præclarè factis,*

magna sanè erat cū mea, tū cæteri collegij Neapolitani de eius virtute, & sanctitate opinio. Annu alios verò P. Ioānes Baptista Piscator spectata animi vi, atque innocentiæ vitæ vir, qui postquam ALOYSIO in religione exercenti dicta data dederat, atque eius pœnitentiæ sacra procurarat, naturæ concessit, eodem illum loco ponebat, atque in quibusdam sermonibus quos mecum habuit, insitatam se quandam in eo sanctitatem animadvertere ostendit. Hæc sunt eius magistri verba. Alij qui eodem temporis spatio in eo Collegio degebant alijs tabulis testati sunt, eum Neapoli dedisse operam vt ignotus esset, in administrorum rei domesticæ familiaritatem crebrò se dedisse, suorumque natalium splendorem, quoad licuit, dissimulare, & obtegere conatum esse. igitur cùm allatum esset Gonzagam Patriarcham in Purpuratorum Patrum cōcilium adscriptum esse, nihilo magis commoueri visus est, quàm si eius nihil interesset: & tamen super consanguinitatem, satconstat eum virum, quod in muniendo ad Religionem aditu operam sibi nauasset, præcipuo illi in amore fuisse. Collocarant Aloysium præsides in ea parte ædium, quæ tyronibus erat attributa, in cubiculo multò omnium laxissimo, vnà cum pluribus contubernalibus. scilicet vt præclaris eius virtutum exemplis quamplurimi proficerent,

rent. quia verò noctu fatigabatur insomnia, opus fuit nocturni somni iacturam matutino compensare. verum, sodales ceteri, quibus ante lucem surgendum erat, impedimento erant, ne vel tum quidem condormisceret. quo, cum præsides eius valetudinem lædi sentirent, eum solum in quodam cubiculo esse voluerunt, quod opportunius capiendo somno credebant. Sed nimirum suberat illud amplo conclaui, quà cùm ad complura cubicula, in quibus habitabatur, transitus esset, scilicet id in quo Aloysius quiescebat, propè continuò nunc horum, nunc illorum vltrò citroque commeantium strepitu personabat, longeque minus erat, ad id quod quærebatur, quam prius illud appositum. Ea re comperta Deo gratias agebat, hancque quiddam aduersi perferendi occasionem ita accipiebat, vt in beneficijs numeraret. Et verò sic habendum esse, vel ex eo liquet, quod etsi omni vigilantia in eius curam præsides intenderẽt, non pauca tamen in eo collegio euenisse, non sine admiratione nonnulli obseruarunt præter morem quidem, sed quæ meritò diuinæ prouidentiæ eius studio obsequenti, ac subinde bene de se merendi, cœlestisq; coronæ potiundæ materiem suggerenti

renti accepta ferenda sint . vt cum foras aliquando prodijt toga inusitatum in modum breui, ac non modo attrita & lacera, sed etiam ita obsoleta vt iam prope nihil pristini coloris obtineret . eam Præsides decori seruandi causa quemuis alium, ponere iussissent: in hoc ne aduertisse quidem videbantur. Deinde sæpenumero eadem hyeme euenit, vt vnà cum cæteris sodalibus ad Professorum adem vespertinas preces cantatum cœlo pluuio, turbidoque itaret: quando Collegij Ministrum, qui in vestibulo vnumquemque obseruá, alios, qui non item atque ipse infirma valetudine erant, in cubiculum se recipere iussos pedem efferre vetabat, de hoc, vt apparet, cogitationem suscipere &, quod si venisset in mentem procul dubio fecisset, domi tenere fugiebat. Ad hoc etsi in Neapolitano collegio aduersus ægros cura & caritas, quanta in nullo vsquam Societatis domicilio adhiberi solet, fuit tamen cum ALOYSIVS simul erisipelate, & febri, quibus ipsum mensem conflictatus est, laborans, quamuis minimè socordi valetudinario vteretur, totam noctem lecticario linteo careret. quod equidem nulli vnquam in collegio Societatis ægro vsuenisse persuasum habeo, in hoc verò, quo illi gra-

tum

tum faceret, Deum tuliſſe. Eum morbum, tametſi cum grauiſſimis ijſque continuis doloribus coniunctus eſſet, mirum quantum patienter, & ſereno ſemper vultu ſuſtinuit, atq; in ſermonibus, cum ijs qui ad eum viſebant, facilem ſubmiſſumque ſe in primis gerebat. Vbi ex eo confirmatus eſt, comperto illud cælum minus facere ad eius valetudinem, ac præterea dolores capitis indies ingraueſcere, Præpoſiti Generalis voluntate, cum ſemiannum Neapoli verſatus eſſet, inde Romam verſus iter ingreſſus eſt VIII. Idus Maij Anno M. D. LXXXVII.

CAPVT QVINTVM.

DE VITA, QVAM INSTITUIT, cum in Collegio Romano in ſtudia literarum incumberet, deque virtutibus, quibus erat ornatus.

INgentem lætitiam B. Aloyſij Romam reditus, cùm vniuerſæ iuuentuti Collegij Romani, tùm ijs præcipuè attulit, qui cùm eum in tyronum domo ad ædem D. Andreæ cognouiſſent, è præſtantibus eius virtutum exemplis religioſiſque moribus haud mediocrem ſe fructum capere poſſe ſperabant. neq; minus ipſe lætabatur, quod Romæ vbi ſedes eſſet ſummi Societatis

Magistratus, princeps collegium, atque bonarum artium gymnasium, suorum studiorum cursum porrò tenere sibi liceret. Quæ deinceps vsque ad beatum eius vitæ finem explanabo, eorum me maxima quidem parte spectatorem profiteor, quandoquidem eo tempore, cum alijs qui in eodem collegio agitabant, familiaritate illi coniunctus fui, & iam tum, vt in proœmio huius historiæ retuli, hæc ipsa vt monumentis consignarem sedulò obseruare cœpi. Romæ ergo in primæ Philosophiæ studijs progressus, breui tempore quàm præclarè Logicis, Physicisque eruditus esset ostendit, tantumque in illa humanæ sapientiæ cognitione processit, vt Moderatorum suffragijs ad publicè de more, propositis thesibus, disputandum multo aptissimus iudicaretur. ergo postquam de singulis in Philosophia locis, quià Magistris in Scholis tradi solent, sententiam suam typis edidisset, sexto ferè mense quam collegium Romanum erat ingressus, eam aduersus contrà nitentium argumenta palam defendit. Quia verò Illustrissimis Cardinalibus Roboreo, Montisregalensi, Gonzagæ adesse, & disserentem audire placuit, non vt ferè à cæteris Societatis hominibus solet in Theologorum, sed in maxima totius

totius gymnasij exedra disputatum est. Ab omnibus qui aderant ei datus est plausus; sed imprimis Cardinalibus placuit quibus admiratione mouebat, quod tam breui, tam infirma valetudine, tantos in scientia progressus fecisset. Iam quando de hac disputatione meminimus, licebit duo quædam de ea adiungere. Alterum, quòd antequam eam ingrederetur, aliquamdiu cunctatus an sui deprimendi, frangendique causla de industria imperitè responderet, cum suopte arbitratu neutram in partem statuere auderet, P. Mutium de Angelis, qui id temporis in eo Gymnasio Philosophiam profitebatur, virum non modò eruditione, sed etiam rerum cælestium vsu, ac virtute præstantem, qui cum crebra illi solebat esse sermonum de diuinis rebus communicatio, consuluit. Is cùm hanc rem allatis rationibus prudenter sanè dissuasisset: tamen inter disputandum, eadem ALOYSIVM suimet despiciendi cupido incessit. Hæsit paullisper pendens animi, donec Patris apud eum momenta valuerunt, illaque cogitatione deposita, quàm posset doctissimè, contradicentium argumenta dissoluere constituit: neque aliter ac constituerat fecit. Alterũ, cùm pro suo humi-

litatis

litatis amore, suas laudes ferre non posset, extitit tamen vnus quidem Doctoris titulo eximius, qui eius theses oppugnaturus, nescio quid de ipsius laudibus genere, ac natalibus præfaretur. eam laudationem tantopere erubuit, vt quotquot aderant non ignari quam ab illa abhorreret, ipsius misericordiam caperent, atque ante alios Cardinalis Montis regalensis ingenuum illũ pudorem, modestamque verecundiam cum animaduertisset, vehementer illa affici visus est. Cæterum ijs quæ à Doctore illo disputata sunt; sic deinde semper occurrit, vt subiratum animum præseferret. Exactis Philosophiæ studijs ad Theologiam proximè traductus est, in qua pluribus Magistris cùm Italis tùm Hispanis viris doctrina sapientiaque claris, qui iam complures annos id muneris sustinuerant, vsus est. Hos impensè reuerebatur, colebatque: de his nunquam non magnificè loquebatur. nunquam cum illis opinione, sententiaque dissensit: nunquam docendi, dictandique morem, nunquam breuitatem, vel prolixitatem de quæstionibus differendi, aut quid aliud eiusdem generis notauit. nunquam vllius aduersus opiniones nouas, atq; insolentes studij indicium dedit. in vnius D. Thomæ Aquinatis, cuius non modò vitæ sanctitatem singulari pietate prosequebatur

batur, sed etiam docendi ordinem, atque perspicuitatem, & doctrinam ab errorum periculo semotam amabat vnicè, monumentis acquiescebat. Erat B. ALOYSIO præstans, perspicaxque ingenium, cum eximia iudicij grauitate cõiunctum, id quod & nos perspeximus, & Magistri ipsi prædicabant, de quibus vnus non dubitauit negare, à quoquam sibi discipulorum, præterquam ab ALOYSIO Gonzaga cùm implicatam quandam quæstionem attulisset, curam sibi vnquam iniectam esse præmeditandi, quid percunctantibus, aut contrà disputantibus responderet. Cùm ingenia quantam per valetudinem, imbecillitatemque virium, & Præsidũ volũtatem licebat, in studijs industriã sociabat. Non prius studere aggrediebatur, quã defixis humi genibus Deum aduenerat esset. studiũ suum, non in variorum auctorũ libris aut cuiusquã nisi Magistri sui cõmentarijs euoluendis, considerandisque ponebat. si quæ ex altera parte ratio in mẽtem veniret, quam suo Marte refutare non posset, eam cùm annotauisset, extrema deinde parte temporis, quod scholis recolẽdis tributum est, cæterorum omnium quæstionibus explicatis, Magistrum consulebat: nõnunquam verò, cum plura collegisset, quæ dubitationem habere viderentur, certum tempus,

quod

quod Magistris minus alienum fore conſideret, ſumebat, atque ad eorum muſæa reſponſa petitum adibat. Inter conſulendum non alio quàm latino ſermone vtebatur, neq; prius pileũ præſeferre deſinebat, quàm caput operire pro imperio compulſus eſſet. Simul Magiſter omnem ſcrupulum euellerat, è veſtigio ſe ad ſtudia recipiebat in cubiculum. Nullum librum, niſi permiſſu, ſuaſuque Magiſtrorum ſumebat in manus. qua in re quàm illis dicto audiẽs eſſet vel ex hoc intelligas. P. Auguſtinus Iuſtinianus eius prçceptor, cùm in ſuo muſæo difficilem quendam de prædeſtinatione nodum roganti expediſſet, explicato ſeptimo B. Auguſtini Tomo, intentoq; in extremum fere de bono perſeuerantiæ librum digito, legere iuſſit, quid ibi vir ille Sanctus de eodem argumento ſcriptum feciſſet. Perlegit totam eam paginam, quæ ſibi deſignata erat, neq; animum induxit, vt ad decem præterea verſus, qui in ea auerſa librum claudebant, legendos, chartam euolueret. ſcilicet idcirco quod minimè imperatum eſſet vt longius progrederetur. & tamen illos verſus quod auerſi eſſent, Iuſtinianus non animaduerterat. Cùm domi, tùm in ludo quoties à ſcholarum accenſo, quem Bidellum dicunt, id ei nego-

negotij dabatur, vel contra alios argumentabatur, vel ijs respondebat, atque ad hæc eadem, si cui cæterorum minus commodum esset, ad illius arbitrium operam suam profitebatur. Disputabat acriter, sed modestè. neminem asperiore verbo figere: non stomachari, non clamorem tollere: non interpellare respondentem, sed spatium dare, quis esset animi sui sensus planè ostendendi. Dubitatione, & obscuritate quæstionis sublata ingenuè sanè assentiebatur, finemque certandi faciebat. Antequam gymnasij intrandi signum daretur, atque item indidem domum reuersus, cùm ante, tùm post meridiem, ædem sacram celebrabat quotidie, sanctissimæ Eucharistiæ adorandæ. Inter eundum, redeundumque finitis scholis, tam erat modestis, compositisque moribus, vt externos etiam studiosos literarum in impluuio gymnasij ad sui aspectum restantes, studio pietatis inflammaret. Præcipuè verò Abbas quidã exterus, in ea academia Theologici studij cursu perfunctus, eius modestiæ amore illectus, non alia quam eius videndi gratia ludum frequentabat, neque inter Scholas vsquam de illo oculos deijciebat. Minimè verò id mirum videri debet, siqui-

siquidē Præpositus Prouincialis Societatis quæ est in Venetis, sic pro Tribunali Patriarchæ ibidem testatus est, in B. ALOYSIVM videri cadere, quod D. Ambrosius scripsit ad illum Psalmi locum. *Qui timètte videbunt me, & lætabuntur. Pretiosum est*, inquit. *videre virum iustum. plerisque enim iusti aspectus admonitio correctionis est: perfectionibus verò lætitia. Nimirum.* hæc talia efficiebat in animis intuentium, huius fortunati adolescentis aspectus. itaque quadrabant in illum etiam quæ sequuntur. *Iusti sanat aspectus, & ipsi oculorum radij virtutem quandam videntur infundere ijs, qui fideliter eum videre desiderant* Quæ omnia noster hic specie ipsa & habitu corporis decentissimo, atque ad hominum mentes pietatis, & salutaris sensu doloris permouendas appositissimo, consequebatur. Adde quod solus eius conspectus non alienos modo homines, & Religiosos adolescentes Sodales eius, verum etiam grauissimos Sacerdotes admonebat officij. itaque coram illo grauitatem quandam videbantur assumere. neque temere cuiquam illo arbitro vllum verbum licentiùs excidebat, nedum leuiter facere auderet. Dum gymnasium petit, aut inde regreditur domum, dum scholis, dum disputationibus interest, nunquam vel verbum cum quoquam siue domestico, seu alieno

feciſſe compertus eſt. Vſque eò obſeruans erat legis de ſilentio. Vbi viderunt præſides perpetua eum inualetudine, corporiſque imbecillitate vexari, vetuerunt ne in gymnaſio dictata ſcriberet, ſed ad id librario vteretur. neque verò ipſe, qui nullum adhuc eius vſum habuerat, dictantium doctorum vocem ſcribendi celeritate aſſequi potuiſſet. Paruit ille quidem, ſed ratus turpe eſſe in eorum manu, qui ob infirmitatem valetudinis aliena opera ad ſcribendum vterentur, eſſe pecuniam, aut vllam eos de pretio operis perſoluendo curam ſuſtinere, quod periculum eſſe diceret, ne id varijs delictis paupertatis integritatem violandi caſum daret, ipſe id negotij refugiens, ſcriptorem ſuum, depoſitarium Collegij, cui id muneris iniunctũ erat, de ſua mercede appellatum mittebat. Scripta ſua cuiuis poſcenti libens commodabat, neque prius repoſcebat, quàm illi ſponte reddidiſſent. Fuit cum Gabriel Vaſques eius magiſter, excluſus tempore, omnes de Trinitate diſputationes anno vertente perſequi non poſſet. itaque ijs quæ maximè neceſſaria videbantur traditis, quod reliquum erat diſcipulis exſcribendum dedit. Præſides ALOYSIO mandant, id ſibi à librario præſtari curet. Is cum præceptoris commen-

R tarium

tarium perlegisset, omissis facilioribus, ea duntaxat, quæ difficiliora, magisque ex vsu esse visa sunt, excerpi iubet. Rogatus, cur ita faceret: *Quia*, inquit, *pauper sum, paupertatis studio id facio. neque enim decet pauperem, nisi in res necessarias, sumptum facere.* Extremis tamen suorum studiorum annis, veritus ne quis hanc suam à scribendo in scholis vacationem aut inanis cuiusdam gloriolæ, aut superuacaneæ commoditatis studium interpretaretur, egit cum superioribus, vti sibi bona eorum venia sua manu scribere liceret. Neque rationes defuerunt, quibus quod petebat, haud magno sanè negotio persuasit. Verum vbi præceptoris linguam velocitate manus æquare non potuit; per interualla attendebat quæ dicerentur, ac mox eadem compendio notabat. à scholis verò, lectis condiscipulorum scriptis, inde quicquid necessarium ab se prætermissum erat, adiungebat. qui labor, amore cæteros suo exemplo informandi, atque exstimulandi erat illi periucundus. Nullum librum nisi quem in frequenti vsu haberet, in cubiculo suo esse sustinebat, quod negaret Religiosi hominis, quem paupertati studere oporteat, esse, vllum librum quem non nisi rarò inspiciat, apud se detinere,

nere, cùm exigua sanè sua molestia ad bibliothecam communem eundem lectum ire possit. Ad extremum verò eo adductus erat, vt præter sacra Biblia, & D. Thomæ Summam, nihil librorum haberet. Si quo in Sanctis Patribus, alijsque scriptoribus loco inspecto opus esset, ad bibliothecam communem se conferebat. Comperit deinde quendam è socijs qui nuper ad collegium accesserat, summâ D. Thomæ carere. nam cum in eo collegio supra Patres, ac Magistros, plus quadraginta numerarentur, qui Theologiæ darent operam, ijs neque ex communi tot D. Thomæ libri singulis attribui poterant, neque verò priuatim cuiquam eos sibi comparandi, aut habendi licentia permittitur. ergò ALOYSIVS Rectorem addit: obnixè rogat sibi vt per illum liceat summam, quæ sibi vtenda data sit, socio illi concedere. se qui eadem qua contubernalis quidam suus vti possit, hac minus egere. & fuit tam accommodata ad persuadendum eius oratio, vt Rector annueret. id ei multò lætissimum fuit, siue quod per se dulce erat hoc caritatis in sodalem officium, seu quod egentiorem se iam factum esse sentiebat, quando proprium nihil, de communibus verò libris vnicum Biblio-

rum volumen in vsu haberet. Tantum mihi venit in mentem de Beati ALOYSII studijs commemorare: longè nunc plura de Christianis eius virtutibus quibus per hoc tempus florebat, supersunt dicenda. Quarum ille quidem virtutum perfectionem cum eminentem illam promptamque moribus, tum reconditam in animo sic erat assecutus, vt plus ducenti homines Religiosi de Societate nostra, qui tum in eodem, quo ille, collegio degebamus, eoq; vtebatur assiduò, testificari possimus ipsum præclarum, viuum spiransque earum exemplum extitisse. Duos iam ipsos annos ALOYSIVS in Societate exegerat, sic vt & ipse in eius institutis, & illa in ipsius virtutibus acquiesceret. ergo aliquot diebus in sacris pietatis exercitationibus seorsim à ceterorum conuictu absumptis, a. d. VII Kalend. Decemb. anno M. D. LXXXVII. qui dies D. Catharinæ Virgini & martyri sacer est, quo item duobus abhinc annis tyrocinij domum intrarat, in sacello quod est in ea collegij Romani parte, quæ nuper exædificatis scholis incumbit, multis arbitris, P. Vincentio Bruno qui eodem tempore Rector erat, sacrificante, Paupertatem, Castitatem, Obedientiam de more Deo vouit, quæ vota idem pater excepit, simul

simulque eum sacra Eucharistia impertiuit. Hæc inter ALOYSIVS gestire gaudio, cùm se iam reuera Religiosum, atque arctioribus Deo vinculis astrictum esse sentiret. Anno M. D. LXXXVIII. V. Kalend. Mart. in Basilica Lateranensi Prima tonsura initiatus est vnà cum alijs multis de Societate, in quibus fuit B. P. Abrahamus Georgius Maronita, qui deinde cùm ex India Aethiopiam peteret, pro Christiana fide martyrio functus, occisus est. Pridie Kalend. Mart. eodem loco ijsdem cum socijs ostiarius pridie Nonas eiusdem Lector, IV. Idus, Exorcista, IV. Kalend. April. Acolythus inauguratus est. Id in codice Collegij Romani, in quem hæc talia referri solent, annotatum est. Institit postea in omni vita ijs omnibus virtutibus abundare, quæ à Clerico Religioso postulari & expectari possint. Quas virtutes hoc loco persequi libet, quo sermo mihi est de collegio Romano, in quo ille & stabilem fere sedem habuit, & virtutes eius in clarissima hominum luce, & admiratione versatæ sunt.

Ordiar ab HVMILITATE, quæ fundamentum Religiosæ, perfectæque sanctitatis, & omnium custos virtutum

est. qua vsque eò ALOYSIVS excelluit, v
eam in tanta donorum, ornamentorum
que cælestium affluentia sartam tectam
conseruarit, neque vnquam eorum grati
superbia sit elatus. neque verò in alia vir
tute vlla plus ponebat studij. Reperimus
post eius felicem mortem nonnulla de re
bus ad pietatem pertinentibus eius manu
scripta, in quibus vnum erat, quod si
bi velut quandam omnium actionum sua
rum regulam composuerat, in quo ex
tremo nonnullas affert rationes acqui
rendæ Humilitatis. Id scriptum quoniam
perbreue est, & nemini non salubre
esse potest, ad verbum, vt ab eo fa
ctum est, hic collocabo. est ergo huius
modi.

*Primum pronuntiatum esto, tui, qui Dei caus
sa procreatus sis, officij esse, quando te creas
do, ab interitu vindicando, atque in sacram
sibi familiam adscribendo, ita de te meri
tus est, ad Deum te conferre. vnde con
ficies non modo tibi ab omni prauo facino
re, verum etiam indifferente, aut inutili
li abstinendum esse. Quin potius quò pro
pius semper ad DEVM accedas, in id om
ni studio incumbes, vt nullum factum,
nullum consilium tuum non à virtute dimi
net.*

*Deinde quò rectam ad Deum viam insista
bis*

hæc alia tria pronuntiata alte in pectus demittes.

Primum est, cùm cæteris omnibus de Societate IESV, tùm verò tibi cumprimis, Christi ipsius, Diuorumque, qui sub illo olim meruerunt, signa, ipsius vocatu, necessario sequenda esse. Quapropter sic statues, vt quodque munus, officium, negotium cum Christi Diuorumque exemplo consentiat, ita rationibus tuis accommodatum, tibique amplectendum, aut fugiendum esse. Huius gratia studio tibi erit vitam præclareque facta Christi quidem per otium cum animo sæpe cogitare, Diuorum verò attento animo perlegere, & subinde ad informationem tuam accommodare. Ita fiet vt bene viuendi exemplis abundes.

Alterum, quo affectus tuos dirigas, hoc esto, eò te Religiosiorem magisque pium futurum, quò tuam vitam diligentius secundum rationes æternas, minus verò secundum temporales gubernaris, sic vt nihil ames, nihil desideres, nihil lætaris, nihil oderis, aut auerseris, nisi pietatis caussa, tibique persuadeas hoc demum esse Religionem, pietatemque profiteri.

Tertium pronuntiatum est, vt quando Dæmon crebrius, te obiecta cupiditate vanæ

gloriæ, & magnifica de teipso opinione, adoritur, quòd hæc minime munita sit mentis tuæ parte, iccirco maius, vel potius continuum eò studium conferas, vt humilitate, tuique despicientia non in speciem modò, sed interiore etiam animi sensu, cum illo dimices. Igitur quasdam tibi leges, velut priuatim ad tuum vsum accommodatas, prescribe, à Christo Domino traditas, vsuque confirmatas, quibus seruandis in studio huius virtutis eugiles.

Quæ prosint in Humilitatis studio. Primum consilium esto, vti cogitemus hanc quidem virtutem hominibus præcipuè propter eorum humilitatem, vilitatemque conuenire: nihilominus quia non oritur in terra nostra, necessariò poscendam esse ab eo, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. quamobrem etsi superbus es, eniteretamen, quam potes demississimè Deum Optimum Maximum, per infimam illam IESV Christi humilitatem obsecrare, qui cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, vt ne eiusdem te virtutis esse prorsus expertem velit.

Alterum consilium, vt ad cælestium quæ vnquam hac virtute claruerunt opem confugias.

Primò enim sic tecum cogita: si cum hominibus versarentur, tantum apud Deum gratiæ

value

valuerunt, vt tam excelsum huius virtutis gradum contingerent, nunc cum in cælo apud eum longè gratiosiores sint, plus etiam eorum preces momenti & dignitatis habituras. quãdoquidem verò postquam summum felicitatu fastigium sũe assecuti, nulla sine ipsi sui submissione ind gent, ora vt tibi idem beneficium impetrent. Deinde verò illud etiam reputa, quemadmodũ in terris ita sunt oes à natura cõparati, vt ijs maximè cupiãt, qui in eadem qua ipsi arte, viuendiq; genere elaborant: Ductor exercitus, exempli gratia quispiã, qui apud Principem plurimum possit, eos potissimum in eius gratia ponere & militari dignitate ornare nititur qui se militiæ dediderint. vir eruditionis titulis insignis eos, qui animum ad literas adiunxerint, Architectus aut Mathematicus, eos qui Architecturæ, aut Mathematicarum disciplinarum scientia sese cæteris præstare student. Haud aliter cœlites, qui vnius alicuius virtutis gloria præcipuè excelluerunt, ad eandẽ acquirẽdam ijs cumprimis operam suam nauare, qui plura eius amore moliuntur, eorumq; commendatione adiuuari desiderant. Ne igitur te pœniteat singulari contentione in Beatissimæ Virginis Matris Dei, quæ quantum nulla mens creata, quæ quidem diuinitatis sit expers, huius virtutis decus obtinuit fidem te conferre. Secundum hanc ex Apostolis D Petrum tibi conciliabis, qui de se dicebat: Exi à me Domine quia homo peccator sum: deinde D. Paulum, qui postquam in

pertium cœlum diuinitùs sublatus esset, tamen adeò de se modicè sentiebat, vt diceret: Venit Iesus saluos facere peccatores, quorum ego primus sum. *Harum cogitationum altera cognitionem tibi dabit, quantum illorum commendatio ad hanc virtutem comparandam apud Deũ pondus habeat; altera quam ad id præstandum prompti sint etiam ac parati.* Hæc sunt in eo scripto Aloysij verba, è quibus liquet, quá ex animo sanctæ humilitatis studio teneretur. In alia scheda, quæ item est eius manu, quamque ipse *Affectus pios* inscripsit, hæc ait: *Desideria quæ concipis, non ita tibi Deo cõmendanda sunt, quẽadmodum in tuo, sed vti in Christi pectore sunt. Quoniam enim bona sunt, in Iesu prius, quàm in te sint necesse est, longeq; ab eo, quàm abs te propensiori affectu Patri æterno exponentur.* & quibusdam interiectis. *Cùm alicuius virtutis desiderio duceris, eorum te Diuorum opem implorare oportet, quibus eius eximia laus tribuitur. verbi gratia, ad humilitatem quærendã. DD. Francisci, Alexij, & aliorum; ad caritatem, DD. Petri, Pauli, D. item Mariæ Magdalenæ, & aliorũ. Sicut enim qui mun⁹ aliquod militare à Principe terreno obtinere cogitat, citius illud ab eo abstulerit, si summo eius copiarum Duce, illiusque tribunis, quàm si aulæ præfecto, alijsue magistratibus domesticis conciliatoribus sit vsus: ita cùm fortitudinem à Deo exspectamus Martyribus, cùm pœnitentiam Confes-*

sa-

fessoribus, commendati esse studeamus. & sic de singulis. Quæ verba, eandem, quam scriptum illud, quod prius attulimus, sententiam habent. Seipsum humillimo loco ducebat, eumque animi sui sensum & verbis declarabat, & factis. Nihil vnquam egit, aut dixit, quod vel longo interuallo ad suam laudem pertineret. quinimmò omnem illum seculi splendorem, genus, familiam, Marchionis titulos, aliaque eiusdem generis, item quæ seorsim ipsius erant, vt vim ingenij, scientiæque copiam & cætera quæ laudi esse poterant, admirabili silentio contegebat. Itaque vel ad suspicionem suæ laudis in morem teneræ Virginis erubescebat, & qui erubescentem videre optabat, non aliter facilius, quàm eius laudatione consequebatur. Eius rei duo duntaxat exempla, multis alijs prætermissis, in medium afferam. Alterum dedit, cùm Medicus quidam, qui ad ægrotantem visebat, laudes eius à nobilitate Gonzagij sanguinis, item propinquitatem Mantuanorum Ducum, atque ab ipsa stirpe, cognationem celebrare esset ingressus. Siquidem cùm suam fortunam obscuram omnibus esse cuperet, hoc præconio vehementer offensus, Medico sui doloris

loris signum dedit. Quoniam verò in crebras eiusmodi laudum occasiones incurrebat, immensum quantum eum claritudinis suorum natalium pœnitebat, & quando erat qui harum rerum memoria animum eius refricare, aut propter aliquod naturæ vel fortunæ bonum aliquo se illum numero dücere ostenderet, id scilicet tantopere eius animum exulcerabat, vt nihil suprà posset esse. Itaque præter vnum dolorem, quem è laude, aut honore his talibus de caussis sibi tributo capiebat, cæteras omnes affectiones ex animo stirpitùs euulsisse videbatur. Alias cum in triclinio prudenter sanè, & accommodatè ad pietatem, de B. Virginis purificatione verba de superiore loco feciſſet, eiúque merita laus tribueretur ab omnibus, simul atque P. Hieronymus Platus coràm in os, eum sermonem commendare cœpit, tanto rubore suffusus est, tantamque se ex ijs laudibus molestiam capere, easque, quippe à se, vt ipse quidem pro insigni sua modestia sentiebat, alienas refugere significauit, vt omnium animos magnoperè delectaret. valdè enim hac sua verecundia gratus omnibus, & amabilis euadebat. Domi foriſque decedere omnibus; si quando foras cum socijs qui res domesticas curant mitteretur (in quibus vnus non semel cocus collegij Romani fuit) ijs prio-

res partes deferre: abnuentibus, tot huius suæ petitionis causas dare, vt illi ne eius animum contristarent, non possent non morem gerere. Verùm in hoc quidem reprehensus est à præsidibus, qui id illum prætereà facere vetuerunt, vt alia deessent, certè vel ideò, ne clerici nomen, dignitatemque tonsuræ, cui potius, quam nimio sui deijciendi studio seruiendum sit, minus decorè habuisse videretur. Domi adiutorum rei domesticæ, aliorumque simplicium hominum congressibus se crebrò miscebat, & perlibenter. dato item ad mensam signo, ad mensam ferè quandam se recipiebat, quæ in extremo triclinij angulo, à cocis alijsque ministris, quippe eorum officinis proxima, plurimum frequentabatur. Mandatum habebat à Superioribus, qui eũ valetudine afflicta, & imbecilla esse cernebant, vt ad eorum mensam accumberet, qui à morbo iã primum conualescerent, neque ab ea vnà cum cæteris surgeret, itemque vt ab alijs nonnullis laboribus abstineret. Ille veritus ne id suæ fortunæ tributum esse videretur, superiores sæpius adit, allatisque bonis rationibus docet, nõ esse quòd se vlla in re eximium habeant, tandemque impetrauit, vt sibi communem cum cæteris viuendi morem sequi liceret. Rogantibus verò nonnullis familiaribus suis, vt huic maiorum

volun-

voluntati obsequeretur, verendum alioquin esse ne in morbum caderet; respondit, sibi qui religiosus esset, omni ope enitendum esse, vt eandem, quam cæteri, eadem secum religione coniuncti, vitæ rationem teneret. De morbo, dum obedientiam non relinqueret, nullum se, qui quidem ijs quæ religionis instituto comparata sunt, obeundis, sit contractus, reformidare. Habitant in Collegio Romano plerumque homines ducenti, aut etiam plures. quocirca fieri nequit vt singulis socijs, qui in eo eruditur, singula cubicula suppetant. ergo præsides, sacerdotibus duntaxat, magistris gymnasij, alijsque nonnullis qui vel imbecilliores sunt, vel munere aliquo funguntur singulis habitaculis disclusis, cæteros in contubernia pro suo arbitratu distributos in diuersis sedibus, quæ pluribus ad studendum pluteis, lectisque sunt instructæ, collocant. Ergo cùm visum esset, ALOYSIVM, quòd infirmior esset, separatim à cæterorum conuictu, cubare oportere, Rectorem aggreditur, eique persuadet salubrioris cæteris exempli fore, si communi cum socijs cubiculo vteretur. Quia verò cum quopiam è Theologiæ studiosis degere, magnificum quiddam putabat, haud

haud grauatè, pro illis, quempiam humiliori loco hominem secum esse patiebatur. Postularat committi sibi præfecturam alicuius contubernij in Seminario, quod præter abiectionem quam Dei amore libentibus animis sustinent, magnis in eo Præfecti afficiuntur incommodis, & grauem, ac propè continuam seruitutem seruiunt. Verùm, quod tanto oneri valetudinem eius parem esse posse diffiderent, id Superiores permittere minimè sunt ausi. Optabat insuper absolutis Theologiæ studijs infimæ classis pueris Grammaticæ rudimenta tradere, tum quòd locum sibi dari cupiebat teneram illam ætatulam virtutis, pietatisque Christianæ præceptis informandi, quod officium Magistris Grammaticę sanctè inuidebat, & familiariter illos compellans Beatos nominare consueuerat. tum quòd illum ad vilia descendere, nihilque habere prę cæteris eximium plurimum delectaret. Prensauit sępius hanc prouinciam, atque vt humilitatis, virtutisque amore se eam petere dissimularet, confirmauit P. Rectori se Grammaticę rudem esse & latino sermone vti non satis polito. omninò, nisi hęc didicisset, Societatis rationibus seruire nullo modo posse. Eadem arte Præfectum

fectum etiam inferiorum scholarum adoriebatur, ad quem subinde lucubratiuncu-las quasdam, pro eius classis captu latinè ab se compositas afferebat. nimirum vt ille de eius studio atque profectu edoctus, ad id quò animum intenderat, operam ei suam commodaret. P. Rector quò ei gratificaretur, simulque exploraret, esset ne vt aiebat, latinæ linguæ ignarus, contubernalem ei adiunxit, qui cum de latinis literis conferret compertum que est haud leuiter ijs tinctum esse. Redijt tamen ad Rectorem, ac se vsu ipso cognouisse asseuerat, hac quidem via, quam adhuc instituisset, nunquam se latini sermonis, atque Grammaticæ peritiam assecuturum. reliquum esse, vt eam alios docendo disceret. Non rarò in obsoleta lacerna sportam, aut manticam gerens lætitiaque exultans stipem per vrbem mendicabat. Domi verò nullum erat tàm vile, & abiectum officium, cuius non ille maiori, quá homines ambitiosi dignitatis, honorumq; studio flagraret. Feria secunda ac tertia cuiusque hebdomadis, solenne illi erat, in culina ministrare. erat verò ei negotium lances è mensa sublatas tergere, ac ciborum reliquias pauperum necessitati subleuandæ colligere. quando verò potestas fiebat (& quod ita à superioribus flagitaret, fæpe fiebat) illum ipsum victum pauperibus pia libera-

beralitate destinatum, sportis impositum ad collegij fores opperiētibus, perferebat. Profesto item quoque die secundum scholas aliud quid contempti operis factitabat. cubiculū, aut alia sibi designata loca euerrere, aut aranearum operas arundine, aut alia pertica in aulis, conclauibusque communibus tergere. Ad hoc fuit illi complures annos opera lucernas in ambulacris & exedris publicis collegij mundare, & infuso oleo, inditoque, vbi opus esset, elychnio, concinnare. quæ ministeria tantoperè eum iuuabant, vt cum lætitiam, quam animo celare non poterat, apertè ferret, qui ijs distentum videbant, quasi triumphāti gaudio, & cœlum digito tangenti gratularentur. Quod gaudium ipse iam quandam in se naturæ vim obtinuisse profitebatur, sibiq; vltrò nullo studio, aut meditatione accitū affluere. Quæres, etsi hominum quidem Societatis, qui eas, & frequētant ipsi, & frequentari à socijs vident, animos nihil mouent, tamen cum ipsa per se, tum propter dignitatem hominum qui in ijs versantur, multum ad inflammandas hominum mentes valere constat. Ad summam, hæc vera laus ei datur, fuisse sui contemptorem ex animo, ac nusquam non sui deprimendi materiam quæsisse.

Accedebat ad hunc tàm demissæ humili-

litatis amorem, perfectæ OBEDIENTIÆ studium, de quo illud commemorasse sit satis, conscium sibi fuisse ALOYSIVM non modò se nunquam à maiorum voluntate discrepasse, aut eorũ imperium minuisse, sed ne cupiditate quidem vlla, aut inclinatione, ne ea quidem, quæ primoribus animi motibus fit, ad id vel leuiter incubuisse: nisi fortè, cum eorum iussu, à suis pietatis officijs distrahebatur. quamquã ne tum quidem ferè nisi perrarò commouebatur & eum ipsum motũ qui existebat, incredibili diligentia, ac celeritate componebat. Ita fiebat, vt non voluntas eius modo, sed mens etiam, atque iudicium cum Superiorum sensu congrueret. Neque verò vnquam sciscitabatur, cur hoc aut illud cõstitutum esset, sed cognito superioribus sic placitum esse, nullam præterea eius approbandi causam requirebat. Hæc perfectio obedientiæ ex eo nascebatur, quod superiorem quemque vice Dei fungi sibi certò persuaserat. *Siquidem*, inquiebat, *cùm Deo, qui aspectum nostrum fugit, obediendum sit, neq; ab eo coràm proximè mandata accipere, aut eius sententiam exquirere possimus, dat nobis ipse huius sui muneris vicarios, atq; interpretes voluntatis suæ Superiores, per quos de omnibus, quæ nos vult, certiores facit, ijsq;, quippe mentis suæ nuntijs vt obtemperemus iubet. Ita sensit B. Paulus cùm ad Ephes.*

ita scriberet: Obedite Dominis carnalib⁹ sicut Christo, & vt serui Christi facient⁹ voluntatem Dei ex animo. *& ad Colossenses in eandem de obedientia sententiam.* Quodcũque facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus. *sic enim intelligendũ est, mandatum à Deo ipso superiore internuncio, ad nos afferri. quare sicut, quod per Decurionem cubiculariorum, aut aliud quoduis palatinum officium à Rege aut Principe, cuipiam clientũ mãdatur, nõ administri illius, sed Regis, aut Principis mandatum censetur, eique à cliente pro tali mos geritur: Ita etiã Religioso superiorũ decreta, quasi Dei imperia per hominẽ ipsi denunciata, amplectẽda, ijsq; prõptè & reuerẽter satisfaciendũ est.* Ex hac persuasione oriebatur obseruãtia illa, veneratio, & pietas quã aduersus superiores oẽs adhibebat, scil. oẽs in administrorũ Dei, eiusq; voluntatis interpretum loco ducebat. quamobrẽ mirificè eorũ prẽceptis lætabatur. Neq; minus apud illum momenti & auctoritatis obtinebat imus quã sũm⁹, rudis quã doctus, mediocriter, quàm eximiè sanctitate, cæterisq; tali munere dignis artibus ornat⁹. nã quà Dei partes agebãt, nihil inter eos interesse rat⁹, pari omnibus facilitate dicto audiẽs erat. Hoc ampli⁹ cẽsebat, qui daret operã, vt in parendo hoc vnũ spectaret, duplicẽ ex eo fructum capere. Alterum, q̃ ei nihil arduũ, & laborioſum, sed

omnia facilia,& periucunda obedienti accidunt. quippe,qui se intelligat Dei,cui seruire in beneficio & gratia deputat,voluntati obsequi: alterum quòd germanæ obedientiæ vim assequatur,ac proinde proposita ex animo legitimè obedientibus in cœlo præmia,certa spe præcipere possit. At verò qui iccircò tantum mandanti obsecundat,quòd aut mandata ad eius stomachum, studiumque faciat, aut qui ea dedit, præstanti virtute,naturæque dotibus, aut propensa in ipsum voluntate sit, is primùm nó perindè,vt obediens,meritus videtur, neque ipsam formam , & quasi naturalem obedientis notam obtinet, quando non id in obediendo secutus est, quod vnum hæc obediendi virtus intuetur. Deinde hunc talem,vbi superiorem cum alio minus, aut natura,bonisque artibus instructo, aut studioso mutauerit,atque ab eo, aliena suo genio mandata acceperit, vehementer cruciari,multisque periculis obiectum esse,necesse est. Subijcere semet alteri quicquam humanum, ac non cœlestia illa quæ diximus spectantem , fracti & vilis animi esse ducebat. Verebatur ne superiores , qui vt infirmitati, penuriæque virtutis sibi subiectorum hominũ se accõmodent,in imperãdo,præcipiẽdoq; ,causas quibus ad id,quod intẽdunt, eos hortãtur,ex his dũtaxat mortali-

talibus rebus accersũt, non plurimum ipsis, quibus imperant, nocerẽt. Quapropter optabat præsides Societatis, confidenter de se, alijsq; statuere, atque in suorum vel habitationibus, vel muneribus cõmutandis, alijsque in rebus de se decernẽdis, nullã suæ volũtatis causam afferre, nisi obsequium Dei, & ampliorem eius gloriam, eaque gratia, omnia constituere. Exẽpli gratia sic iubeant. Visũ nobis est ad obsequiũ Dei pertinere, atq; ex eius maiori gloria fore, si in illum locum te conferas, aut hoc officium sustineas. Itaq; vade. Deus id tibi fortunet. Id cũ faciunt, aiebat, superiores confidentiæ, preclaræq; existimationis de virtute & obedientia subiecti indicium præbere, eum consuefacere ad proprium obedientiæ Christianę decus amplectendum, tantoq; copiosioris ineundę à Deo gratię opportunitatem prębere, quanto paucioribus vtãtur humanarum rationum momentis. Sin hæc talia argumẽta prætextusq; quęrantur, vmbrã tãtũ quandam obedientiæ non solidã expressãq; eius effigiẽ subiecti persequi consuescunt, carent ijs bonis quę diximus, occasio nonnunquã datur detrectandi imperij, pręsertim si est vnde facilè rescisçant, aut suspicẽtur, aliud esse, cur officio aut loco moueantur, quã quod verbo, scriptoue prętenditur. Solebat prętereа confirmare gratius si-

bi obediendi officium euasisse, cum experimento didicerit, mirificã quandã Dei de se prouidentiam maiorum imperijs esse declaratam. sæpenumerò enim vltrò sibi non roganti à superioribus ea concessa, aut imposita, quorũ desiderio vel priuata pietate, vel instinctu diuino antè tenebatur. Ita quondã euenit, vt cũ loca, ad quæ Christus D.N. sub extrema supplicia circunductus est, cum animo suo cogitasset, eoque ingens illum cupido percepisset, eo die ad septem sacras ædes vrbis de more supplicatũ eundi, præter consuetudinem Superior nihil huius petentem aut sperantem eadem hora accersseret, septemque sacras ædes obire iuberet. Id ei geminatam lætitiam attulit, tùm quòd res ipsa per se expectata erat, tũ quòd comperiebat, quantam in modicis etiam rebus pro se Deus curam gereret. Quãplurima huius generis exempla, nisi longũ esset, memorare liceret. Reprehẽsus ab eo in cuius erat potestate, os habitumq; sic conformabat, vt aperto capite, oculis humi fixis, nihil excusans, nihil respondens, quidquid ille diceret, demissè, & patienter acciperet. Obiurgatus aliquando à superiore de nescio, cuius rei incuria, in quam quòd animo ferè à sẽsibus alienato ingrederetur, offendebat sæpius, tãta eũ pœnitẽdi vis incessit, vt subita defectione laberetur: ex qua se

mul

mul animũ collegit, prosternit se ad pedes lachrymans, tantaq; humilitate, delicti, quo de arguebatur, gratiam precatur, vt excitari non posset. Affinis est huic obediendi virtuti obseruantia legum, quibus religionis disciplina vincitur, in quibus seruandis tam solicita erat Aloysij diligentia, vt cuipiam supereſſe videri posset. Neq; enim ille recordari poterat, vnquam se earum legum vllam vel leuissimam cogitatò migrasse. Iam verò vsque eo accuratè, & rigidè ijs ad verba parebat, quasi earum neglectu in ingens aliquod discrimen adduci, & graue damnum fieri necesse esset. Qua in re tanta erat libertate nullam vt personam siue religione deuinctam, seu solutam vereretur. Iuerat aliquando missu Rectoris, salutatum Roboreum Cardinalem cognatum suum, cui roganti vt in prandio secum esse vellet, negauit fieri posse, quod esset contra quandam legem, qua astrictus esset. Delectatus eo responso Cardinalis, nihil præterea cum eo egit, nihil postulauit, quin exciperet, nisi fortè esset contra nostras leges. Idem Cardinalis significauit postea P. Rectori Collegij Romani, vti se ea cautione, eamq; conditionem adiungere, ne quid in teneram Aloysij conscientiã offenderet, vtq; spiritui diuino qui eius mentem insideret, velificaretur. Rogatus

quondam à contubernali, quem litteras parantem scribere charta defecerat, vt dimidiatum sibi folium commodaret, metu ne legem quę vetat quicquam superiorum iniussu donare, aut vtendum dare, violaret, intellexisse dissimulans nihil tum quidem respondit, sed eueſtigio cubiculo egressus P. Ministrum adit oratum veniam socio chartam de sua dandi, & paulò post reuersus comiter socium appellans: *Poposcisti, nisi fallor, nuper à me chartam, eccam*, inquit *simulque eam impertit*. Ad postremum non satis reperio, quinam clarius, studium eius aduersus Religionis leges patefaciam, quàm si eum testificer, ijs annis quibus Religioni operatus est, nunquam eam legem neglexisse, quę certis temporibus, ac locis silentio vti imperat, neque item eam, quæ dum studijs vacatur aliter quàm latinè loqui vetat. At in hoc genere labi sanè quàm procliue est.

Iam PAVPERTATIS religio suprà quàm credibile est studiosus fuit, In hac magis quam opulenti homines in copiarum affluentia delectabatur, & acquiescebat. Si enim in pristinæ fortunæ licentia sic eam adamauit, vt, quod diximus, iam tum humilis illi vestitus cordi esset, facilè quiuis existima-

ſtimare poteſt, quid in Societate egerit, quam propriam ſanctæ Paupertatis domũ nominare eſt ſolitus. Itaque id omne ſemper abhorruit, ex quo ſpeciem vllam quicquam ſibi priuatim quaſi proprium vindicantis habere videri poſſet. nunquam niſi ex communi copia indutus, amictuſq; eſt: nunquam librum in vſu habuit, quem ſecum deferre liceret, non horologium, nõ ſcalpellorum, aut alius generis thecam. Eorum verò quæ ad pietatem ſunt comparata neque alijs largiendi cauſſa quicquam ſeruabat ipſe, neque alios ſibi largiri valdè lætabatur. nunquam vllam reliquiarum thecam vllius generis penes ſe eſſe paſſus eſt, non coronam precatoriam è materia pretioſa aut eleganti, non priuatam vllam picturam aut tabellam. Sed nimirum aut communibus imaginibus quas reperiebat in cubiculo, vtebatur, aut certè ſummum vnam habebat priuatim è charta, quæ erat D. Catharinæ Virginis, & Martyris, cuius ſcilicet natali ad Religionem venerat, & alteram item è charta D. Thomæ Aquinatis, cuius doctrinæ ſtudia æmulabatur. Atque has, approbantibus ſuperioribus, aliorum precibus fatigatus, ac prope compulſus dono acceperat. Quid quod ne in Breuiario quidem quod in tyrocinio, neq; in libello officij Beatiſſimæ Virginis Ma-

tris quod in Collegio in vsu habuit, vnquã fustinuit vel tantilla imagine, tanquam nota, vt multis est mos, preces distingue re. Quoniam verò non deerant, qui pro sua in eum pietate varia ad Dei cultum facta munuscula non modò offerrẽt, sed etiam vltrò petita à Superioribus licentia, vt acciperet prope vim intentarent, siquidem liceret, ea recusabat, sin: eorum pace facere non poterat quin admitteret, ad Superiorem ea continuò deferebat, aut certè facta ab eo potestate, cum primum occasionem erat nactus, alijs donabat. Delitiæ eius erant nihil penitus ex hoc mundo possidere, nihil desiderare, atque ab omni re mortali distractum esse. Quando appetente æstate, aut hyeme pilei, ac vestes tribuebantur, nunquam ille quicquam longius, aut breuius, astrictius, aut laxius esse querebatur: sed rogatus à sartore satisne aptè conuenirent: *Mihi quidem*, inquit, *videtur*. Immensum quantum illum viliora omnia delectabant, nullaque non in re, quæ ei obtigisset ad deterrimum quodque oculũ adijciebat. Nostram verò illam legem, qua præcipitur ac iubetur, vt quilibet sibi persuadeat, quò seipsum magis vincere, magisque in virtute proficere condiscat, eorum quæ domi sunt

sunt viliſſimum quodq; ſibi tributum iri, ſic interpretari ſolebat. *Quemadmodum*, inquit, *mendicus qui circum domos, aliorum benignitatem implorat, exploratum habet, non præſtantiſſimas veſtes, quæ in ædibus ſint, ſed maximè laceras atque obſoletas, itemque cæterarum rerum, quod poſtremi pretij ſit, ſibi datum iri: ad idem exemplum nobis, ſi verè paupertatem amamus, perſuaſum eſſe debet, quæ domi abiectiſſimæ notæ ſunt, nobis tribui oportere. ac verbo* (perſuadeat) *eam vim ſubeſſe dicebat, vt velit certò nos cum animis ſtatuere ita fore, atque ita fieri par eſſe.* Adhoc non ſemel Sacerdoti apud quem conſcientiam expiare eſt ſolitus, narrauit in beneficij, & meriti numero ponere, quod ita voluntas Dei ſæpe tulerit, vt in partitione rerum quæ ſingulis vtendæ tribuuntur, deterrimæ ſibi obuenirent. id ille pro flagranti ſuo paupertatis amore, præcipuo Dei in ſe fauori acceptum ferebat. Nam in religione tanta verecundia ſe tractabat quaſi è pannis, & mendicitatis ſordibus ſe ſublatum & maiorum miſericordia domo acceptum ex animo ſentiret. Itaque quicquid in eum conferebatur, ab egregia caritate profectum eſſe iudicabat. Ad menſam, parcebat ille quidem edere eum cibū,

quem

quem suæ valetudini obfuturum prouide-
bat, ne tamen, quod minimè cupiebat, pro
eo quid melius afferretur, ministros de in-
dustria fallere nitebatur. De eius castitate
non est quòd aliud cõmemorem nisi præ-
stantem illum Virginitatis quà corporis,
quà mentis thesaurum tam excellenti, atq;
eximio nitore, quem altero capite primi
libri persecuti sumus, semper illibatum cu-
stodisse. In sermone atq; congressionibus
nihil eo veri sinceriq; amantius, nihil sim-
plicius, nihil magis ingenuũ fieri poterat,
ergo nemo erat qui de eo quod ille aut af-
firmasset, aut negasset, posset dubitare, ab-
erat enim ab omni amphiboliæ, aut simula-
tionis fuco. Solebat etiam asserere artifi-
cijs, dolis, simulationibus, fallacijs, ambi-
guitate, siue dictorum seu factorum eripi,
huius seculi fortunæ deditis hominibus
mutuam inter ipsos societatem. in Reli-
gione verò esse præsentia venena Religio-
sæ simplicitatis, certas iuuentutis pestes,
quibus cum spiritu quo Religiosum prędi-
tum esse oporteat, conuenire vix vnquam
possit.

Qua de illâ domitrice corporis, cupidi-
tatumq; refrænatrice, quam Mortificatio-
nem apellamus, erat tàm cupidus malè ha-
bendi corporis, tantoq; longius, quàm vi-
res ferrent ab eo se studio prouehi patieba-
tur,

tur, vt, nisi Moderatores frenum ei iniecissent, aliquot sibi de vita annos dempturus breui fuisse videatur. Itaque nonnullis mirari se eum dicentibus, non ducere sibi Religioni, toties de afflictando seipso superiores obtundere, respondebat, se cum hinc imbecillitatem virium suarū attenderet, inde verò animum sibi ad huiusmodi pœnitentiæ exempla edenda concitari sentiret, optimum factu putare, rem totam ad Superiorem, quem nihil horum omnium præteriret, referre. fore enim vt is quod Deo visum esset, præterea nihil permitteret. Addebat nonnunquam se quarundam rerum potestatem flagitare, quas certum habeat minimè sibi concessum iri. quando enim non sibi, vt peruellet, ijs vacare liceat, hoc suum desiderium Deo dedicare, eique qui in eius vicem sibi moderaretur aperire, multis sibi nominibus conducibile videri. In quibus illud numerabat, quod aliorum iudicio, minus de se sublatè sentire disceret, quippe quibus, hæc talia animo meditans, non satis seipsum, in hac quidem causa nosse videretur. & verò placebat interdum Deo, vt, præter opinionem omnium, quarundam rerum licentiam obtineret. Aggressus erat eum quidam admodum seriò percunctari, cur qui cætera tàm prudens esset Patrum pietatis, auctoritatisque

que spectatæ, qui toties eum vt tantam in seipsum seueritatem, mentisque in rebus diuinis meditandis contentionem missam aliquando faceret, erant hortati, consilia parui duceret ? Huic ALOYSIVS his ferè verbis respondit. *A duplici hominum genere hæc mihi, quæ ais, consilia dari sentio. Alterum est eorum, qui vitam degunt omnibus sanctitatis copijs ita perfectam, nihil vt in ea non imitatu pulcherrimum intuenti occurrat. Atque his quidem sæpe mihi animus fuit parere consulentibus. verùm postquam animaduerti quæ mihi suadeant, ipsos pro se vti nolle, mihi eorum facta potiùs, quàm consilia, quæ à superuacua caritate, meique misericordia proficiscuntur, sequenda putaui. Alij verò sunt, qui quorum mihi auctores sunt, ea & ipsi in moribus suis seruant, neque multum in pœnitentiæ studijs sunt dediti. At mihi illorum potius priorum moribus & exemplis, quàm horum præceptis & consilijs viuendum videtur.* Aliam præterea huius rationem reddebat. Vereri enim se vehementer aiebat, ne intermisso harum animaduersionum vsu, natura diu in virtutis consuetudine retineri non posset, sed in pristinum statum relapsa habitum patientiæ tot annorum laboribus partum repente perderet. Erat & hoc eius dictum,

esse

esse se ferrum incuruum, atque ad Religionem venisse vt voluntarijs pœnis atque supplicijs perinde ac malleis corrigeretur. Dictitantibus verò perfectionem sanctitatis in interiore animi virtute consistere, & voluntati potius vim adhibendam esse, quàm corpori, respondebat: *Hæc oportet facere, & illa non omittere*. Hoc enim plerisque omnibus quorum sanctitatem mirata sit antiquitas, deinde primis Religionis nostræ Patribus, sed ante alios Beato P. Ignatio in more positum fuisse. atque hunc quidem cùm ipsum, vt in eius vita legimus, in pœnitentiæ officijs, vexandoque corpore multum fuisse, tùm in Constitutionibus præterea scriptum reliquisse, nullum ab se Professis, alijsque in stabili aliquo Societatis gradu positis vigiliarum, ieiuniorum, verberationum, orationum aliarumque pœnarum, modum poni; quòd eos in excellenti sanctimonia, tantos progressus feciſſe, atque harum salutarium afflictionum, tamdiu, dum eas nihil pijs mentis functionibus obesse cognoscerent, tanto studio teneri confideret, vt fræno potius, quàm calcaribus indigerent. Illud insuper etiam adijciebat Aloysius, tempus his ab

his ab se exposcendis pœnis opportunum esse dum homo integris corporis viribus, florensque iuuentâ sit. senectutem enim morbis infestam, minus ad eas virium relinquere. atque iccirco homines sanctitate præcipuos, extrema vita, atque ingraescente ætate, quantum in pijs mentis agitationibus processissent, tantum ferè de corporis supplicijs detraxisse: nunquam tamen ea prorsus deseruisse. Si quam illi corporis castigationem superior interdiceret, eius fructus iacturam, alio aliquo pietatis officio, vt legendo caput è libello de Imitatione Christi, adeundo templum ad diuinam Eucharistiam venerandam, alioue simili compensabat. siue staret, seu sederet, aut ingrederetur, nullum corporis aliqua molestia vexâdi tempus prætermittebat. Quia verò Superiores cùm debiliorem viderét, omnem illi cilicij, flagelli & extraordinariæ inediæ vsum vetabant, excogitabat aliquas sui exercendi rationes, quæ neque cum Superiorum voluntate pugnarent, neque corporis valetudini aduersarentur, easque illis explicabat. Eiusmodi fuit illa cùm pro solenni exercitatione de suggesto dicendi, petijt vt sibi in sociorum corona Hispano sermone dicere liceret. ratus scilicet ea re omnibus se risum debiturum. & obtinuit vt liceret. Denique eius semet cruciandi

cruciandi ardorem vel ex hoc vno satis cognoscas, quòd cum tot pœnas à se ipso toties, nullo valetudinis respectu, exigeret, complures ei denunciarũt, malè se metuere ne in ipso vitæ exitu hic eum scrupulus angeret, ac malè atq; imprudenter tractati corporis in Purgatorio igne pœnas fortè penderet. Cui dubitationi cùm in nouissimo morbo esset, ita vt pòst memorabo, respondit. Ad perturbationes animi coercẽdas haud sanè magna diligentia opus erat, quippe quas iampridem ita sibi subiunxerat, vt ijs carere videretur. studium inprimis suum ponebat, in excutiendis omnibus animi motibus, ac si quid se deliquisse cognosceret, non nimia tristitia contrahebat animum, sed semet ad Dei pedes abijciens, seq; confessione expiaturum decernens, pacem eius poscebat. eo facto securam mentẽ gerebat. Id verò ab illo, de quo diximus, tyrocinij sui Magistro hauserat. Solebat enim ille cõmuniter omnibus prẽcipere, aduersus errata qualia in quotidiano viuendi more surrepunt appositum, & quod simul Deo acceptum esset, simul dæmonem vreret, esse remediũ suammet humilitatem coram Deo, sublata in cælũ paullisper mente his aut similibus verbis profiteri. *En, mi Domine, quàm fragilis sum & miserabilis? quàm procliuis ad lapsum: Ignosce mihi*

Domine, & gratiam concede, ne idem peccatum iterum peccem. Secundum hæc verò acquiescere. Hoc itaque tenebat Aloysius aiebatque præterea, nimium de his talibus erratis affligi indicium esse hominis semet ignorantis. qui enim se nôrit, non posse esse nescium hortum suum tribulorum ac spinarum suapte sponte feracem esse. Eius omnis solicitudo in suarum cogitationum, ac desideriorum fonte & capite inuestigando tantisper versabatur, dum reperisset, culpamne aliquam sustineret, necne, nimirum vt eam sacerdoti posset exponere, re verò comperta, curam omnem deponebat. In confessionibus perspicuus erat, breuis, minimè anxius, atque vt P. Robertus Bellarminus, qui confitenti operam dabat, testatus est, propter lucem diuinitus affusam, mentisque acumen intimos animi sui recessus sic perspiciebat, vt perinde posset explicare quem ad finem cogitatio, aut desiderium, aut actio aliqua prouecta esset, tamque enucleatè, ac distinctè, ac si oculis ipsis omnia contueretur. Admodum in sociorum conscientia palàm obiurgari, eaque gratia præsidibus sua ipse delicta vltrò notabat in schedis. verùm postremis temporibus, cùm prouectiore ætate laudem sibi tribui intelligeret, ab ijs, qui nullam in ijs culpam reperiebant

bant, quæ sibi ipse vitio vertebat, animum induxit tandem, huius generis reprehensiones non amplius postulare, cùm diceret eas damno sibi potiùs esse, quàm lucro.

Exercitia spiritualia B.P. Ignatij non solum propterea maximi æstimabat, quòd ad hominum mentes à peccati turpitudine ad honestæ vitæ amorem traducendas, verùm etiam quòd ad suscitandos in religiosorum animis pietatis, diuinique spiritus sopitos igniculos aptissimum, efficacissimumq; instrumentum suppeditent. Igitur quotannis quo tempore, de more, diutius à scholis feriato licebat esse, quò illis vacare posset, veniam orabat, aliquod dierum spatio secedendi. Quoniam verò sunt illa quatuor in hebdomadas tributa, in singulas ipse sibi sententias quasdam, & præcepta, cum argumentis, quæ in qualibet tractantur, & scopo, qui petitur congruentia, latinè elaborarat. Sed quia omnia eius aduersaria, quæ quidem ad pietatem pertinebant, ipso defuncto, continuò sublata sunt, præter has ad primam hebdomadem notas nihil admodum reperire potui.

Pro exercitijs primæ hebdomadæ. Iudicia Dei inscrutabilia, quis scit num adhuc mihi mea secularia scelera condonauerit?

Columnæ cæli ceciderunt, & confractæ sunt. Quis mihi pollicebitur perseuerantiam? Mundus nunc in profundo malitiæ iacet. Quis omnipotentem placabit iratum?

Viri religiosi plerique, & Ecclesiastici vocationis obliuiscuntur. Quomodo vlterius feret Dominus tantum regni sui detrimentum? Fideles magna tepiditate tota vita quasi adimunt Deo gloriam suam; & quis eam restaurabit?

Vah secularibus, qui pœnitentiam differunt ad mortis articulum. Vah etiam Religiosis, qui vsque ad eundem articulum dormierunt.

His quasi excitamentis excutiendæ est somnolentia, & renouandum propositum pœnitentiæ, ac Deo rectè, & immobiliter seruiendi.

Vera pœnitentia, ex Dei amantissimi contemptu, & ignominia à me affecti, ingenti dolore concipitur.

Eadem, peccata grauia ita deflere facit, vt etiam de venialibus omnibus maximam excitet compunctionem.

Eadem, eò vsque pertingit, vt non solùm Dei misericordiam culpas remittentem agnoscat, & veneretur; sed ad honorem diuinæ iustitiæ vehementissimè cupiat iustas omnium suorum peccatorum pœnas subire.

Hic infundit Deus bene dispositis odium grande sui

de sui ipsorum, quo excitatur, & firmatur propositum acriter in se ipsum per pœnitentias etiam externas sæuiendi.

LAVS DEO.

DEi tanto amore ardebat, vt nullo non tempore ac loco, quoties eius mentio fieret, non ita inflammaretur, vt in ipso etiam vultu signa quædam emicarent. Præstitit & singulari in cæteros mortales caritate. Ea permotus crebrò ad valetudinaria ægris seruitum eundi facultatem quærebat. Eò verò cum veniſſet ægrorum lectos componere, cibum ijs ministrare, pedes lauare, pauimentum verrere, ad patientiam, criminumq; sacram cõfessionem singulos hortari. Intra domesticos verò Religionis parietes, ad ægros quotidiè visendi perpetuam licentiam impetrarat. Ergo in hoc officio assiduitate & diligentia omnibus anteire, nullo delectu omnes adire, solari, & siquando ob capitis dolores maiorum iussu vacaret à studijs, valetudinarijs nauare operã, cultros, ac cochlearia eluere, mensam sternere, alia denique ægris, aut ex ægritudine conualescentibus ministeria prestare. Neq; verò, quo erat zelo salutis omnium vehementer incensus, promptius corporum curam suscipiebat quàm mentium, itaque si per suos Præ-

sides licuisset, pro eo ac tum in seculi libertate, tum in religione ardentibus votis semper expetiuerat, ad conciliandos Christo Ethnicos in vltimas Indiæ oras nauigasset. Porrò necdum ipse quidem ad nauandam externorum hominum salutiperam, adhiberi poterat. quippe cum id sit eorum qui absoluto studiorum decursu, sacerdotioque initiati, confessionibus audiendis, concionibus ac sermonibus habendis, alijsque similibus officijs destinantur. Interea ipse haud segniter, atque, vt erat admirabili prudentia diuinitùs imbutus, multiplici arte eorum qui ijsdem secum religiosæ vitæ rationibus ac necessitudine connexi essent, progressiones in sanctioris instituti studijs adiuuabat. nam cum in eius vita, quæ ab omni reprehensione aberat, pulcherrimum illis exemplum esset propositum, insuper ipse Rectorem consuluit: placeretne ab se effici, vt meridie ac vespere ijs horis quæ dantur remissioni animorum, non amplius sermones de literis, alijsque de rebus indifferentibus (nam de vanis & inutilibus nunquam licet) sed de ijs solis quæ ad pietatem facerent, inter socios miscerentur. Præerat per id tempus studijs pietatis, in eo Collegio Patri Hie-

Hieronymus Vbaldinus, qui cum se Ecclesiastico magistratu quem in vrbe gesserat, abdicauisset, Societati se dedidérat, atque in ea per insignem sanctimoniam omnem reliquam peregit ætatem Huic etiam ALOYSIVS quod habebat in animo, postquam iam Rectori probabatur, patefacit, rogatque vt ipse item ad hæc incepta perficienda allaboret; simul Deum vt ea bene euenire velit multis precibus orat. Secundum hæc delectos ex omni collegio aliquot adolescentes præclara omnes in res cœlestes voluntate, quos suis consilijs opportuniores existimauit, conuocat, & sibi in optatis esse docet, vtilitatis animi sui causa, eo tempore quo aberrare nonnihil à grauioribus curis, & familiares cœtus agere liceat, cum ijs interdum de diuinis rebus colloqui. Adhoc ipse quotidie, ne quando ad loquendum idonea materia deesset, libellum aliquem de præceptis pietatis, aut alicuius è cælitibus vitam semihoræ spatio lectitare. denique cum his socijs rei initium facit. Ergo si in se inferiorum circulum venisset ipse princeps salutaris sermonis ordiendi erat, quem cæteri mirificè eius verbis excitati magno gaudio sequebantur.

Sacerdotibus, seque maioribus quæstionem aliquam discendi studio de pietate ponebat, eorumque sententiam exquirebat, ita collocutionis de diuinis rebus principium dabat. Quanquam ne id quidem erat necesse, quando illi, simul ad se accedentem cernebant, certi alienis sermonibus minime delectari, omnes, etiam superiores, vt eius animo obsequerentur, abrupto, si quem alium instituisset, sermone ad sacra flectebant. Cùm versaretur inter æquales, siquidem erant ex ijs quibuscum Societatem nuper fecerat, de sanctis rebus disserere nullius erat negotij: sin erant alij non dubitabat vltrò exordiri aliquem de pietate locum tractare, in qua illi, quippe homines Religiosi, cum progressus facere studerent, haud grauate se eodem deduci patiebantur. Quando aut è tyronum domo, aut aliunde studiorum caussa recens quispiam aduenerat, eum aut adoriebatur ipse per sese, aut ad eum aliquem quicum ille tyrocinium posuisset, aut familiaritate aliqua coniunctus esset allegabat, &, quoad poterat, ei ad conseruandum, quem in tyrocinio hausisset, Religionis ardorem, opitulari nitebatur. Ergo simul illepedem in collegium intulerat, insinuare vltrò in eius consuetudinem, denunciare

ciare confidenter, siquidem sibi constare, atque in pietatis studio procedere cogitaret, non defuturam sodalium copiam qui in partem iuuarent: interea dum singulos vsu cognosceret, quina, aut sena eorum nomina edebat, qui cæteris studio, atque vsu cœlestium rerum antestarent. Hos deinde commonefaciebat, vt cum illo se consociarent; & procedebat ex animi sententia. Præterea si quem è collegio intelligeret, ad agendas pro dignitate religionis partes, opis indigere, eius animum omni conatu sibi demereri laborabat, ac securus tum quidē quid ea res alijs sermonis daret, compluribus non modò diebus, sed etiam hebdomadibus in meridiana, vespertinaque congressione cum eo versabatur quotidiè. Vbi iam tantum in studio absolutæ sanctitatis, quā in illo requirebat, profecerat, vt eum minimè suæ operæ pœniteret, tum verò sensim illam familiaritatem diffuebat, cum diceret rectioris se omnibus exempli fore, si promiscuè ageret cum omnibus: deindè hortabatur, vt quàm optimis sese copularet, commemorabatque ei nonnullos: tum ijs negotium dabat, vt cum eo se congregarēt: sibi liquere illum rerum optimarum cupidum esse: denique postquam ab vno se dimouerat, ad alium se conferebat. His tàm præclaris studijs, atq; operis in paucis hebdomadi-

domadibus compluribus adiumento fuit, & eorum etiam, qui plurimum refrixisse videbantur, ad Dei amorem animos inflãmauit. Itaque vidisses vniuersum Collegium Romanum flagrantibus diuini spiritus ac pietatis studijs tantopere incensum, vt nemo non eximiam quandam Dei voluntatem agnosceret. Memini me, cum plus ducenta capita in eo collegio censerentur, æstiuis diebus, interea dum à studiorum laboribus animos recreari licet, per hortum ac porticus binos, ternos, quaternos, vt assolet, vnà omnes spatiantes sæpe collustrasse oculis, & quoniam omnium sensum satis tenebam, liquet mihi nullum inter omnes ordinem fuisse, in quo non de Deo verba fierent. Diceres non ad laxandos animos, sed ad serios de diuinis rebus sermones, conuentus haberi, è quibus multi haud minorem, nonnulli etiam maiorem se fructũ, quam ex oratione ipsa percipere fatebantur. id quod eò præcipuè eueniebat, quòd interim dum cœlestes sensus, quos inter precandum hausisset, incredibili candore quisque in medium proferret, quasi alter de alterius lumine suum lumen accendebat. Atque hæc omnia adeò libentibus, lætantibusque omnium animis gerebantur, vt nemo non tristis, ac mœstus ad sua se studia relaturus esset, si quando

quando fortè euenisset, vt remissionis tempore nihil quod ad pietatem conferret, egissent. Hi erant sermones foras animi caussa deambulatum egredientium, hi quo die scholæ intermittuntur, in vrbana villa ludi & oblectamenta, quibus, cùm bini, terni, quaterni plurifariam ad colloquia salubrium rerum secessissent, nihil videbatur posse fieri iucundius. Iam verò per longiores vacationum ferias, quæ Septembrem & Octobrem tenent, solent adolescentes, qui in collegio Romano litteris vacant, à scholis feriati, ad vires à contentione studiorum aliquot diebus confirmandas, mitti in Tusculanum. Huc igitur eo tempore bona Præsidum venia alius libellum de Imitatione Christi, alius Diui Francisci, alius Diuæ Catharinæ Senensis, alius Beati Patri Ignatij vitam secum afferebat: non nemo Annales Familiæ Diui Dominici, alius Diui Francisci in manus sumebat: erat quem Confessiones, ac soliloquia Diui Augustini, item quem sermones Diui Bernardi in Cantica delectarent. quidam qui maiores in cognitione diuinarum rerum progressus habebant, res gestas Beatæ Catharinæ Genuensis non mediocri cum voluptate voluebant: alij quorum ani-

animus ad suijpsorum despicientiam magis inclinabat in præclaris Beatorum virorum Iacoboni,& Ioannis Columbini facinoribus lectitandis multi erant. Horum,aliorúque librorum lectione imbuti prima luce, primaque vespera bini terniue in vicinos colles corpora exercitatum exibant, atque interea quæ legissent,inter se narrabant. Interdum verò decem aut duodecim fortè coeũtes, in syluis,ac nemoribus ad piè colloquendum considebant, tanta iucunditate,feruore,sensuque pietatis, vt cœlestes angelos referre viderentur. Itaque Tusculanum otium haud minus ad sanitatem animorũ valebat, quàm corporũ, eratq; alter alteri specimen, quod intueretur,& calcar, quo ad persequenda diuina instituta concitaretur. Harum rerum testes sunt tot Socij, qui cum earum spectatores, atque pars essent,etiam fructu sunt gauisi, iamque alius in alijs terrarum oris in Domini vinea colenda elaborant. Qui cum illas ALOYSIO velut principi auctori ferrent acceptas,eum ferebant in oculis,tollebant in cœlum, pietate complectebantur, eius lateri hærebant, ab eius ore pendebant assiduò. quod si minus liceret, perinde mœrebant, ac si ad rem quampiam sacram, eorumq; saluti,& perfectioni virtutis,inprimis vtilem aditus esset intercluſus. Adiuuabat hunc omnium

mnium aduersus eum amorem, quod arcũ non semper habebat intentum, sed ad opportunitates locorum, temporum, personarum prudenter & considerate, admirabili spiritus suauitate, sese accommodabat. itaque licet in agendo serius esset & intentus, in communi tamen consuetudine, nihil in eo tetricum, nihil molestum, sed mira comitas, lepos, affabilitas aduersus omnes. Interdum dictum aliquod argutè & ingeniosè iacere: interdum fabellam, seu narratiunculam ad hilaritatem compositam exponere: nusquam tamen à modestia, quæ religiosos decet, discedere. Atque hic B. ALOYSII primis duobus annis, quibus in Collegio Romano degit, vitæ cursus, & fructus fuit.

CAPVT SEXTVM.

MITTITVR IN PATRIAM AD sedandas discordias, quæ inter Ducem Mantuanum, & Marchionem ipsius fratrem graues extiterant. vti in eo negotio se gesserit, feliciterque processerit.

HOratio Gonzaga Sulphurini regulo Mantuæ nuper extincto, eius ditioni subiecta regio, quæ est in Cæsaris clientela, hære-

hæreditario iure Rudolphum Marchionẽ illius nepotem, ſucceſſorem expectabat, niſi Dux Mantuanus quem ille hęredem teſtamento reliquerat, prior in eam inuaſiſſet. Ea res Martham Marchionis Caſtilionenſis matrem relicto ad Caſtilionis gubernacula Rudolpho, cum tribus minoribus liberis Pragam proficiſci compulit. Ibicũ Franciſcus, qui hodie imperat, trium, quos, dixi, liberorum natu maximus, nõ amplius nouẽ annos natus, corã Cæſare orationẽ bene lõgam pronunciaſſet, tantã ab eo gratiã inijt, vt eum haud inuita matre, inter Ephebos ſuos honorarios retineret. Miſſus deinde ab Cęſare legatus, quẽ Cõmiſſariũ Imperialẽ nominant, qui in eius vicem tantiſper res Sulphurini adminiſtraret, dum re explorata ipſe alterutri illud adiudicaret. Cognita cauſa, ſecũdum Rudolphum Marchionem, quippe defuncto conſanguinitate propinquiorem ſententia dicitur. Non tamen defuerunt tartarei adminiſtri, qui falſis rumoribus, inter hos cognatos principes odia tantopere accenderent, vt offenſionibus, ſuſpicionibuſque indies gliſcentibus, Sulphurinenſis cauſa, quæ ciuili adhuc more erat diſceptata, inter leuiſſimas eorũ diſſenſiones numeraretur: iamque tot erant in Rudolphum Marchionem criminationes oblatæ, vt ingens aliqua clades metueretur.

quid

quid quod tum alij viri illustres, tum Ferdinandus Archidux Maximiliani Cæsaris frater, sæpe inter eos gratiam redintegrare frustra tentarant. Ibi rebus in vltimum prope discrimen adductis Eleonoræ Austriæ Vincentij Ducis, & Marthæ, Rudolphi Marchionis matribus, vt erant pacis cupidissimæ, segetemque pessimi publici sublatam volebant, venit in mentem, nullum aptiorem ALOYSIO, pacificatorem, tam dubijs rebus exoriri posse. quippe qui & Duci semper carus fuerit, & apud Marchionem, quem principatu concesso, sibi totum deuinxerit, plurimum auctoritate valeat. Igitur, inscientibus filijs, communi consilio ALOYSII, qui tum Romæ versabatur opem implorant. Ille ne tranquillitatis animi iacturam aliquam faceret, neue à disciplina religiosa vel tantisper laxaretur, principiò toto animo ab his concertationum molestijs refugere. Deinde verò re tota Deo suis, sociorumque precibus enixè commendata, Patrem Robertum Bellarminum confessionum suarum cognitorem consulit. is cum quid optimum factu esset cum Deo egisset his ei verbis respondet: Eas, ALOYSII, censeo. DEO, mihi crede obsequeris. Hanc vocem tanquã oraculo missã

cum

cum accepisset, sic animum ad æquitatem composuit, vt in Præpositi Generalis potestate esse vellet. Interea Leonora Archidux, comperto quid ab ALOYSIO excusationis à primo obtenderetur, cum ea vna secundum Deum videretur esse ratio incommoda, quę supra caput imminebant, auertẽdi, neque verò ab vllo religionis instituto alienum putaret propinquos eo loco homines in gratiam redigere, (quippe quod sit caritatis officiũ) cum Aloysij moderatoribus egit, vt eum Mantuam mitterent. Itaque, vt petierat, factũ est, quod in illi⁹ principis feminæ vita item legimus. Duos iam annos ALOYSIVS in Theologiæ studijs exegerat, atq; in Tusculano multis cũ alijs, quod autumnales feriæ essent, agitabat, cũ eò veniens P. Bellarminus mandatum affert à Præposito Generali vt Romam redeat, atque Mãtuam & Castilionem versus quam primum iter conferat. Ille non amplius quartam circiter horæ partem moratus, nos omnes qui vnâ eramus, quòd eius conuictu, sanctiq́ue exempli fructu tot mensis carituri essemus, grauiter mœrẽtes reliquit. Prosecuti eũ sumus omnes extra villã quandam quæ est Collegij. In regressu Robertus Bellarminus huius adolescentis virtutes sanctitatemq́ue non sine egregiè propensi in illum affectus significatione, celebrare

ingres

ingressus, multa percensuit, quæ animos nobis vehementer pietate permouebant. Ibi singillatim etiam se existimare professus est Dei in illum gratiam confirmatam esse. Adhoc negauit se excogitare posse quem alium, atque ALOYSIVS, D. Thomas Aquinas adolescens viuendi morem sequi potuerit. Quæ verba complures cum audissent, memoriæque commendassent, tabulis etiã publicis testata esse voluerunt. Postquam Romam attigit, iussus à P. Generali in viam se dare, prius valedicendi gratia ad Cardinales propinquos suos adijt. Hic astantem Roboreo Cardinali cum repentina defectio ex debilitate emaciati corporis affligissent, in lectum Cardinalis depositus est. is deinde ALOYSIVM nimiæ in extenuando vexandoque corpore asperitatis coarguit, atque hortatur, vt in posterum eius valetudinem curet diligentius. Cui ille, negauit, se quod sui officij esset adhuc exequi: Comes itineris datus est vnus ex operum domesticorum adiutoribus vir consideratus, cui cura sanitatis Aloysij commissa, ipsique Aloysio imperatum, vt in omnibus quidẽ, quæ ad valetudinem spectarent, socij præceptis pareret. P. Ludouicus Corbinellus vir grauis, ac de Romano Collegio optimè meritus, non ignarus quàm grauibus Aloysius exerceretur capitis doloribus, quanta

Potuit contentione suasit, vt ad defendéd
solem vmbellam gestaret in via. at nó per-
suasit. Mane eius diei quo illi equitandum
erat, par ocrearum in eius cubiculum allatú
est, quibus vir quidam illustri dignitate v-
sus erat, idque iam eas induere paranti có-
memoratum est à quodam. Hoc audito A-
LOYSIVS veritus, ne eo nomine sibi datæ
essent, minime ijs se delectari ostendit. itaq;
que inter induendum identidem eas aspice-
re quasi aliquam causandi materiam quæ-
rens. Id animaduertens socius: Quid vitij,
inquit, est his ocreis, satin' ad pedem tuum
conueniunt? cum ille taceret: sine, subijcit,
has tibi demam, atque aliud accommoda-
tius par afferam. ergo in vicinum conclave,
in quo necessarium equitibus instrumen-
tum seruatur, delatas non commutat, sed
easdem in aliam duntaxat formam compli-
catas refert, & probare iubet; num hæ for-
tassis sint aptiores: ALOYSIVS alias ratus,
cum induisset: hæ verò, inquit, mihi quidē
congruere videntur. ijsque deinde vsus est.
Abijt Roma pridie Idus Septemb. anno M.
D. LXXXIX. vna cum P. Bernardino Me-
diceo perfamiliari suo, qui ad interpretan-
das publicè sacras literas Mediolanum mis-
su superiorum proficiscebatur. Nunquam
eo toto itinere suum precandi, in seipsum
inquirendi, litanias recitandi, aliaque pie-
tatis

tatis officia obeundi morem intermisit. nũquam siue in diuersorijs, siue iter faciens alium quam de pietate cœlestibusque rebus sermonem instituit. Mirum quantum equisones loquentem piè, & reuerenter attenderint, se totos illi indicarint, nusquam ab eius latere discesserint, ipsum velut cœlestẽ hominem venerati sint. quæ in illo quidem hominum genere rarò reperias. Senis quædam superuacaneæ humanitatis officia quæ illi vsitatos religionis fines transgredi, & suæ naturæ, fortunæue conditioni tributa, aut à patris cuiusdam immodico in se amore profecta videbantur, adeò respuit, vt neque ab illo Patre, neque à quoquam cęterorum pedes sibi, vt peregrè aduentantibus Societatis hominibus fieri mos est, elui sit passus. Imò socio confirmauit sibi priuatum illius Patris aduersum se studium, totque officiorum delitias displicere. Dulce illi fuit Florentiam primæ suæ pietatis, cœlestisque feruoris matrem interuallo reuisere. Inde, relicto Patre Bernardino Mediceo, quem eius cognati Medicei viri illius vrbis principes aliquot dies remorati sunt, Bononiam perrexit. Eò simul venit eueſtigio corona Patrum illius collegij, apud quos celebris iam erat eius sanctitatis fama, cingitur cumque illis extemplò in colloquium

de rebus diuinis venit. Vnum ibi diem moratus est, quo die cùm eum Rectoris iussu æduuus vrbem lustratum deduceret, domo exiens rogauit ne vllius viæ præterquá ad templum, ædemue aliquam sanctitate conspicuam sibi dux esset. cetera enim sibi cordi non esse Ille obsecutus, aditis duabus tribusue ædibus, quarum erat illustrior cærimonia, domum eum reduxit. Vbi ventú est ad diuersorium, quod inter Bononiam, & Mantuam est Ferrariensis ditionis, caupo ambobus cubiculum in quo vnus esset lectus attribuit. Aloysij socius hominem seorsim admonet, religiosi moris non esse plures in eodem lecto cubare. alterum itaque lectum sibi commodet. Ille negare se id facere posse. alios lectos se nobilibus, si qui eodem vespere, suo hospitio vti velint reseruare. tum verò socium instantius idé flagitantem, & excandescentem Aloysius quiescere iubet. cui ille: At enim hic caupo nobilibus suos lectos designat, quasi nos rustici simus. atqui tui certè rationem ducere debuit. Aloysius verò mirificè tranquillo animo, vultuque placido. *Ne succense, mi frater, nec enim æquum bonum habes. nisi siquidem paupertatem profitemur. Si ergo ille eo numero nos habet, quo nos esse profitemur, nihil est quod de eo queri possimus.* Cæterùm, sero eiusdem diei, postquam nemo homo præ-

rea acceſſit, ſocio mos geſtus eſt. Mantuam inuectus, continuò Eleonoram Auſtriam feminam principem & annis grauem, & vitæ innocentia claram ſalutatum adijt, quæ vehementer læta reducem ſe eum videre, magnoque amore complexa, aliquamdiu familiares cum eo ſermones contulit. Indidem Mantua certiorem de ſuo aduentu fecit Rudolphum germanum ſuum, atque is confeſtim miſit, qui Caſtilionem illũ perueherent. Eò profectus nullum præ ſe nuntium miſit, ſed vbi Caſtilionem deuenit hominem fortè obuiam Marchioni renunciare iubet ſe adeſſe. Ille hanc famam omnibus oppidi vicis diuulgat. Igitur ingens hominum multitudo partim feneſtras obſidere, partim ex ædibus erumpere, pietatis inſolitæ, & lætitiæ vndique argumenta edere; feſtum in modum reſonare æra campana, tonare maiora tormenta, ciues prætereuntem ſubmiſſis genibus venerari. nimirum tam illuſtris erat ſanctimoniæ eius opinio, ad quos omnes honores incredibile memoratu eſt quàm erubuerit. Marchio ad imam arcem obuiam fratri deſcendit. vix è rheda ſe extulerat cùm quidam eius ditionis Aloyſij conſpectu confiſus, Marchioni ad pedes proſtratus, criminis neſcio cuius veniam orat. Cui Marchio B. Aloyſio ſe animaduerſionem qua in illum vſurus fuiſ-

set condonare atque remittere testatus est. In arcem cũ Marchione ingressum cõplures aulici, atq; alij pristino more Illustrissimũ vocabant, atq; eius Excellentiæ meminerant, quæ appellationes dolorem ei incutiebant, & pudorem. Matrẽ, quæ in oppido D. Martini duodecimo miliario aberat, Castilione nõ repperit; misso tamen nuntio de eius aduentu edocta, postridie cũ duob⁹ liberis admodum pauxillis Castilionem reuersa, è palatio in quo habitare solet, quod aliquanto interuallo distabat ab eo, quod erat Marchionis, Aloysium de suo accessu certiorem facit. Ille suo socio comitatus, cũ ad eam esset profectus potius alicuius reisacratæ ritu, quàm filij amore acceptus est. nã cùm & materna charitas impelleret, neq; adesset quem vereri oporteret, non tamen amplexum aut osculum dedit, sed amore venerationi postposito, genibus nixa, submisso ad terram capite veniẽtem salutauit. neque id mirum. etenim iam inde à prima pueritia pro sancto eum ducebat, ac suum Angelum appellabat. Totum eum diem cũ matre consumpsit, socio, ipsius iussu, omnium sermonum, quos de ijs quæ gererentur in causa, ferebant inter se participe, atq; arbitro. verùm vbi ille animaduertit suo cõspectu minui matri libertatẽ de quibus vellet negotijs confidẽter conferendi cũ filio,

capta

capta occasione educit se foras, ac precũ coronam B. Virgini Matri pertexit. Inde sat longo interuallo reuersus ambos repperit fixis humi genibus comprecantes. Vesperi omnibus ad cubicula digressis ex socio requisiuit Aloysi⁹, Quare discessisset: cui ille, sibi, inquit, indecens videri, quando mater vt tantis locorũ interuallis filij copia sibi fieret à Præposito Generali impetrauit, nunc impediri ne præsente ad arbitrium frui, iumq́; illi sensum omnẽ possit exponere. Igitur alijs cum nobilibus fæminis, præterquam cum matre, colloquẽti, prẽsto, vti iuberet, libenter affuturum. neq; cõtra id responsũ Aloysius quicquã tetẽdit. Tenuit se complures dies Castilione, per quos singillatim à Marchione alijsque de negotijs, ac dissidijs quæ illi essent cũ Duce Mantuanorũ, erudiebatur. Interea incredibile memoratu est quã præclara sẽper omnibus vbiq; è quauis opportunitate virtutũ documenta præbuerit. Nusq̃ per oppidũ nisi pedibus ire, licet matris fratrisq́; voluntate nũquam non rheda à tergo esset, tantique essent concursus salutantium, vt pileũ perpetuò præ se ferre cogeretur. Agere promiscuè cum quouis, ea humilitate, mansuetudine, submissione quasi eorum postremus esset. A nemine externo sibi vnquam seruiri passus est. Si qua re eguisset, socij potius operam

requirebat. at ne ab hoc quidem vllum, nisi necessarium, vltrò, & prope reluctanti delatum officium admittebat. Siquidem in suis necessitatibus præstolari solebat, dum alij, ipso nihil petente, ad ferendam sibi opem diuinitùs mouerentur: Ac nisi aliter superioribus, quos consuluerat, visum esset, non ad maternam aut fraternam, sed Archipresbyteri domũ diuertisset. Quamdiu Castilione versat' est, maximam omnibus in rebus continentiam adhibuit. itaque nihil vnquam è paterna domo postulauit. quid quod cùm eum hyems, & frigidissimæ tempestates oppressissent, mutatisque vestibus opus esset, nunquam tamen adduci potuit, vt à suis eas sibi parari pateretur, sed cùm Rectorem Brixianum de sua, socijque penuria edocuisset, ab eo togas aliaque necessaria vestimenta, quæ iam alijs in vsu fuissent (nam noua nolebat) accepit. Matri etiam atque etiam oranti, ne duas subuculas Mantuanas, quarũ alteram ipsi, alteram socio offerebat, recusaret, negauit se quicquam eorum posse accipere, quæ tàm libenti animo missa fecisset. Non destitit tamen illa cum socio agere, vt eas Aloysium accipere iuberet. ille mane ad eum venit cum inibi esset, vt surgeret, atque vnam porrigit, & recusanti: Mater, inquit, Dei amore hanc tibi donat

eleemo-

eleemosynæ nomine. quando igitur nunc eges, nolo eam abijcias. simulque subuculâ illi induere aggreditur. Aloysius audito eleemosynæ nomine, & socij imperio coactus, nihil præterea repugnauit. Item linteis quæ in Collegio Romano abeunti data erant, iam propè detritis impetrare nõ potuit mater, vt exiguum aliorum numerum, quæ pro sua in eum pietate ipsa consuerat, vellet accipere, sed obsoleta refici iussit. Ad extremum socius cum necessitas premeret, commemorato item eleemosynæ nomine ægrè eum perpulit, vt modicam admodum eorum partẽ habere vellet. Nemini domesticorum, aut alienorum mandatum vllum vnquam dedit, atque in ea domo instar hominis peregrini, ac mendici, qui Dei causa hospitio acceptus esset, verecundè, & circũspectè versabatur. Quando negotij causa Marchionem conuentum cupiebat, quod eum interpellari, aut alieno tempore admoneri nollet, aditum in exterioribus cubiculis opperiebatur. Ad eius mensam nihil repugnabat, quin sibi cæterorum more ministraretur: in matris verò ædibus, cui nihil erat optatius, quàm filio obsequi, plus sibi libertatis vindicãs, ne super pateram, principum more, cyathi sibi porrigerentur, potionem sibi in mensa, Societatis more vt apponerent, orabat. minimi cibi, ac potus,

pro sua consuetudine erat. neque cuiusmodi essent morabatur. scilicet diuturno sensus suos frenandi vsu, gustatum funditus sustuliſſe videbatur. Matri quippiam quod bonum, aut alio aliquo melius esse diceret, præbenti gratijs actis, eo deinde abstinebat. Socio dicere solebat. *Deus bone! quam bene nobis est domi nostræ? Mihi certè quilibet noster, quamuis tenuis victus, maioris, quàm dapes omnes, quibus hæ mensæ onerantur, cibi esse videtur.* Nullo vnquam, ne socio quidem induendi, aut exuendi administro vti sustinuit. Cauterium quod habebat sinistro brachio inustum, adeò sine cuiusquam ope curabat, vt Socium interuenientem, ac dum alium vinciendi modum præcipere studet, digitum modicè admouentem, confestim se tangere vetuerit. Ea erat modestia, tamque cauebat, ne cuiquam committeret, quod ipse præstare posset. In materna, & si licebat, etiam fraterna domo lectum sibi ipse sternebat, ad socij quoque lectum sternendum operam suam promptè commodabat. eo tamen animaduerso ministris aulicis curæ fuit, illum diligentia sua antecapere. Valetudinis tuendæ curam omnem adeò negligebat, vt de ea nunquam nisi socij admonitu, vel cogitationem susciperet. Solitudine valdè delectabatur. matris tamen congressum,

sum, quæ & pietatis esset amantior, & solatij indigeret, minus auersabatur. Mane simul è lecto prodierat iustam horam orando ducebat, sacro aderat, preces canonicas maiores recitabat quotidiè, coronas item sacrarum precum, hasque interdum cum socio, sic vt psallentium ritu inuicem responderent. si quid interdiu rapere poterat subsęciui temporis; *Frater*, inquiebat socio, *eamus paulisper precatum.* Vespere tres ipsas horas quotidiè remotus ab omnib⁹ agebat. Antequam quieti se daret Litanias pronũciabat, & conscientiã suam inspiciebat. Archipresbytero peccata confitebatur, & festo quoq; die in præcipuam ædem, quæ est DD. Nazarij, & Celsi itabat rei diuinæ spectãdæ, & Sanctissimæ Eucharistiæ sumẽdę. quo tempore ingens ad eum videndum populus confluebat, non sine indicijs erga eũ pietatis, & doloris de tam boni principis iactura. Quo die festo primùm eò venit, tanta hominum qui spectatum concurrerant, multitudo templum impleuerat, vt veniret illi in mentem sermonem habere, hortariq; omnes ad metuendum in omni vita Deũ, & sancta sacramenta frequentanda. Abstinuit tamen quod cõpositis prius fratris negotijs à sua domo virtutis exempla præbendi initium faciendum putaret. Socio nullum vnquam verbum dixit asperius nullo eius facto

facto se offensum præ se tulit, quin potius ipse eius sententiæ cedere, & mira facilitate menti suæ imperare, vt cum illius iudicio congrueret: in omnibus, quæ ad sanitatem spectarent, illi auscultare: socius verò, eius sanctimoniam mirari, candore, & simplicitate quam in omnibus rebus præstaret, ité, excellentia animi, qua mortalia omnia, hominumque rationes pro nihilo duceret, plurimũ capi. Multa per id tempus itinera vnà fecerunt, Brixiã, Mantuam, atque aliò, quò eos negotiorum ratio vocabat. ibi per viam Aloysius ab ijs quæ in oculos incidũt animum traducebat ad Deũ, & bene prolixos de diuinis rebus sermones ingrediebatur, quorũ, ne socio quidem defatigato, aut aliud quiddam inijciente, finẽ faciebat. Fuit cum ei Castellum Godefridi proficiscendũ esset, vt cum Alphonso patruo suo, eius loci regulo ageret cuius ipse, nisi religionem maluisset, hæreditatẽ erat aditurus. Discedenti Marchio famulos addidit, quos coẽ recusare minus ausus, vbi Castilionem egressus est omnes ab se dimisit. Rhedarij deinde, qui aberrarat de via, vitio factum est, vt hora altera ab occasu solis, portis iam clausis Castellum Godefredi deuenirent. quoniam verò oppidum est inprimis munitum, quò tali tempore aditus nullus dari consueuerat, fuerunt singillatim vigiles e-

docen-

docéndi, quinam essent, & quorsum venirent, ac tantisper præstolandum, dum de omnibus ad principem referretur. sat longo interuallo, ecce tibi panduntur portæ, pons submittitur, exoritur magnus nobilium principis assectarum numerus faces gestantium. In ipso oppidi ingressu densum armatorum agmen, à porta vsque ad principis palatium, ex vtraque plateæ parte medium stipant. ipse princeps obuiam progressus ingenti lætitia & honore venientem accipit. atque in conclaue regio apparatu conuestitũ, lectisq; magnificis instructũ prosecutus, locũ ei aliquantisper se confirmandi reliquit. Ibi Aloysius, vt erat ab his rebus alienus, vbi se tot honoribus cumulatum, atque in eã habitationẽ tàm splendidè ornatã delatũ videt; conuersus ad socium: *Heu!* inquit, *mi frater: Deus nobis hoc vespere sit propitius. & quò tãdem ob peccata nostra delapsi sumus? Viden' hæc cõclauia, hos lectos? quanto tandem nobis melius esset, procul ab his obsequijs & opportunitatibus, in cubiculis illis nostris nudis, vilibusq; lectis iacere?* Itaque tot honorũ impatienti nihil erat lõgius quã dũ expeditis negotijs abscederet. Igitur postridiè Castilionẽ redit, vnde satis iã de omnibus eruditus, vt cũ Duce conficiat, Mantuam se transfert. Ibi aliquot hebdomadis in Collegio Societatis per interualla mora-

moratus, tam illustri omnibus sanctitatis documento fuit, vt Patres, qui tum in eo versabantur, hodieque de eius modestia, humilitate, despectu sui, obsequio ac reuerentia erga cæteros, incredibili morum grauitate, quæ cum egregia simplicitate, candoreque animi in congressibus, coniuncta erat, admirabilia quædam prædicant. Mente semper erat ab his mortalibus rebus alienata, atque in Deum subuecta, tamque arctè cum eo consociata, nihil vt faceret, aut diceret, cuius non illum testem ac spectatorem intueri videretur. Igitur Patres ad illum velut præclarum omnium virtutum exemplar aspicere, eoque conspecto pietate magis ac magis inflammari. etenim ex eius vultu tantus sanctitatis splendor elucebat, vt in eo expressam B. Caroli Boromei Cardinalis imaginé se cernere testarentur. Administrabat id temporis Collegium Mantuanum P. Prosper Malauolta olim à B. P. Ignatio fundatore, & parente Societatis nostræ ad eam aggregatus. Is adolescentis sanctimonia, grauitateque perspecta, non abs re futurum duxit, si feria sexta sermonem ad Collegium Patrum haberet; quod munus solis Sacerdotibus, ijsque natu & auctoritate prouectis, nunquam autem sacerdotij expertibus, demandari mos est. Ille verecun-

datus

datus principiò, paruit tamen, ac super illis verbis Christi D. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, tanta diuini Spiritus vi, & feruore eos ad caritatem inter se hortatus est, vt mirifica omnes voluptate perfunderet. Exorditur deinde negotium, cuius gratia venerat, cum Duce transigere. tametsi non prius apud mortales illud aggressus est, quam cum Deo in cuius manu hominum corda sunt, omnia constituta haberet, à quo iam modum tam formidolosis rebus exorarat. id cùm publicè consignatis testimonijs, tùm ex ipso rei euentu liquidò constat. Siquidem primo cum Duce congressu, sesquihoræ spatio, litibus omnibus compositis, omnibus, quæ postularat, impetratis, finem ijs attulit. Ac licet Dux acerbissima indignatione, aduersus Marchionem à calumniatoribus esset incensus, & ALOYSIVS qui propius Marchionem, quam Ducem contingeret, humanum in modum rem considerantì, animi alteram in partem propensioris suspicionem mouere posset: neque verò causæ Duci deessent, quarum obtentu, ALOYSII preces posset abijcere. quippe qui neque à Principibus, & illustribus viris, qui item con-

cor-

cordiæ auctores fuerat, flecti se esset passus tamen postquã tã sanctam in eo mentẽ, rectissimũque animi sensũ cõperit, nihil abnuere ausus, manus dedit, seque eius bonitati, & æquitati confisũ, ad eius arbitrium omnia facturũ recepit. Non defuere qui pacificationem tanti ad Dei honorẽ momenti impedire, aut certè prolatare niterentur. inter alios verò fuit homo graui auctoritate, qui Duci suaderet, vt quando ei sẽtentia iã esset hoc consiliũ sequi, non id solius Aloysij precibus daret, sed tantisper rẽ extraheret, dũ Principum illorum, qui eum anteuertissent, rationẽ haberi liceret. Huic respondit Dux, certũ sibi esse negotium iã mox expedire, se quod faceret, vnius Aloysij caussa facere: alia enim gratia nunquam facturum fuisse. id quod omnibus admirationem mouit. Accepit Aloysius à Tullio Petrozzario V.C. capita omnium, quæ criminosè Marchioni obijciebantur, egitque vt ille de singulis Duci se purgaret, qua purgationẽ, cùm eam Aloysius attulisset, cumulatè Duci satisfecit. secundum hæc reuersus Castilionẽ Aloysius Marchionẽ perducit ad Ducem, à quo ille summa humanitate acceptus, rogatusque est, vt secum meridie in prandio, reliquo die in ludis & oblectamentis esse vellet. instanti Duci vt Aloysius etiam secum pranderet, adduci nõ potuit

potuit vt condiceret, sed ad Collegium Societatis reuertit. cum idem Marchioni diceret, ac certe curandum esse, vt à prandio rediret ad Comœdiam, subridẽs Aloysius, negauit id suo socio placere. Eodem tempore Dux Sulphurinum, eiusque ditioni subiectam omnem oram restituit, cessitq;, quam hactenus B. Aloysij hæredes, ac fratres hodieque perpetuò obtinent. Gratia inter Ducem ac Marchionem ad hunc modum summa cum omnium lætitia, & admiratione qui hanc causam pro desperata habuerant, composita, aliud quiddã praui in vulgus exempli, quod ab ipso Rudolpho Marchione edebatur, de medio tollere ingreditur. Is enim captus amore cuiusdam puellæ honesto quidem loco, & patre sic satis opulento natæ, sed longo interuallo ipsius generi imparis, cum illa forte domo esset egressa, rheda vndique probè septa inclusam, foras in voluptarium suum quoddã prædium abduci iusserat. Porrò cum cæcus & iuuenilis ardor cũ summa potestate coniunctus in hanc eum labem impulisset, tantum tamen in eius animo Dei timor, rectaque educatio momenti habuit, vt eam non per flagitium, irato Deo, sed legitimis sibi nuptijs copulare: & sibi suæque familiæ potius notam inurere, quã letiferi peccati consuetudine immersus, Deique gra-

tiæ perpetuò expers, puellæ animi salutem famamque perdere decreuerit. Ergo facta ab Episcopo potestate secretò eam sibi vxorem domum ducendi 8. Kalēd. Nouemb. anno M. D. LXXXVIII. coram Archipresbytero, necessarijsque testibus eam sibi iunxit, inque legitimo deinde matrimonio semper habuit. Verùm quòd metueret ne hac necessitudine cum cæteros sui sanguinis, tum verò præcipuè Alphonsum patruum, cui in ditione Castelli Gotfredi succesſurus erat, irritaret, non eum modo sed matrem etiam suam, celabat. Illa igitur rei, vt erat, ignara Aloysium orat, vt pro auctoritate qua apud Marchionem polleat, quippe cui ille non modo Marchionis titulum & opes, sed hanc etiam cum Duce gratiam, suarumque rerum pacatum statum, acceptum ferat, perficere nitatur. vt huius puellæ consuetudinem abrumpat. Egit ALOYSIVS has partes sane ardenter. At ille aliud ex alio quotidiè causatus, fratrem suum absoluere, & tempus proferre studebat, sic tamen vt se in officio futurum polliceretur. ALOYSIVS ratus quod præsens non impetrasset, eius postea nullam partem in manu sua fore, eò tandem hominem perpulit, vt se illi morem gesturum, & quando mox Mediolanum ipse cogitaret, eò venturum rationem cum eo rei gerendæ initurum,

eius

eiusque consilio obsecuturum esse sponderet. Hac sponsione accepta ALOYSIVS VII. Kalēd. Decemb. anno M. D. LXXXIX. Mediolanum se recipit, ibique consuetis suis studijs, & pietatis functionibus inuoluit. Circa Ianuarium Rudolphus Marchio, fidei suæ liberandæ & ipse Mediolanū iter facit, ac die festo prima luce, cum Aloysius iam accepta Eucharistia, in Odeo agendis Deo gratijs esset intentus, ad Collegium venit. Accurrit præpropere ianitor, eique in aurem: Frater tuus, inquit, Marchio adest, frequenti comitatu, neque longas moras pati potest. ALOYSIVS nullo verbo reddito, duas ipsas horas immotus, genibus nixus perseuerat, ac tum demum ad Marchionem adit. Illē factum ei suum ordine, matrimonijque Societatem, quæ sibi esset cum illa puella, aperit. Aloysio voluptati fuit cognoscere abesse fratrem suum ab ea culpa, in qua esse ferebatur, ac vereri sine Dei gratia viuere. interea velle se, ait, à grauibus, doctisque patribus consilium exquirere, quid in ea re facto opus esset. Assentiente Marchione de ea & Romam scripsit, & Mediolani disceptandam proposuit. Multi censuerunt, Marchioni, quò concubinatus infamiam, qua pessimo publico, flagraret, turpitudinisque exemplum tolleret, necessariò rem in aper-

tum proferendam esse. Hanc eruditorum sententiam tam efficaci oratione fratri exposuit, vt eum quo vellet induceret, atque ipse propinquos deleniendi negotium susceperit. Hæc cùm deliberata haberent, Marchioni persuadet Aloysius, vti totius vitæ labores confessione expurget, & diuina Eucharistia pascatur. Vbi deinde Marchio Castilionem reuertit, & Aloysius alio socio comitatus eodem se confert. eò cum peruenisset ad 10. Kalend. Mart. duo se, ait, eo tempore instituisse. prius seculi; hoc Dei, & Ecclesiæ (huius matrimonij negotium intelligebat) causa. Marchioni auctor fuit, vt matri, alijsque quorum referebat, rem vti se gesta esset apertè ediceret: & ipse Aloysius, vt omnem praui hinc exempli sumendi materiam omnibus eriperet, eam populo promulgauit. tum fratrem hortatus est vt puellam benè, & Christianum in morem tractaret. Præterea Ducem Mantuanum, ambos Cardinales Gonzagas, qui tum viuebant, alios que principes necessarios suos de his fecit per litteras certiores, orauitque vt quod Marchio, depellendi ab animo suo grauis culpæ periculi, honoríque puellæ consulendi causa fecisset, id ne ipsi in malam partem acciperent. Ab his omnibus responsum ex animi sui sententia tulit. Sed inprimis operam in eo posuit, vt Alfonso patruo suo

suo factum probaret, ac commendaret. quare eo demortuo, ipsius ditionem Rudolphus hæreditate accepit, quam postea Franciscus Marchio, qui hodie rem gerit, pro Medolensi Duci Mantuæ concessit. Itaque ipse optimo nunc iure, summaque potestate Medolæ imperat, estque ea à Cæsare deinde ditioni Marchionis Castilionensis annexa, atque inserta. Vulgato hoc matrimonio, occasionem cepit ALOYSIVS laborandi, vt complures qui concubinas sibi sociarant, matrimonium inirent, atque ité vt minimè leues discordiæ restinguerentur. Rogatus à matre vt sermonem haberet in æde sacra, de eo socium suum consuluit. tum verò sabbato quodam eum habuit in ęde Sodalitatis, cui à Disciplina nomen, vicina templo S. Nazarij, ac tametsi quanto maximo silentio fieri posset, dicere conaretur ac proindè vetuisset ære Campano signum dari, templum tamen confertum hominibus repperit. Dixit eleganter & piè, hortatusque est omnes vt postridie, qui erat dies Dominicus Quinquagesimæ, postremæ Hilariorum, ad Sanctam Eucharistiam venirent. ac tanto ardore vocanti paruerunt, vt necesse fuerit Sacerdotes, ac Monachos totam eam noctem audiendis confessionibus distineri. Postridie mane Eucharistiam acceperunt Mater Aloysij, Frater Marchio,

eius coniunx, alijque homines septingenti. Ipse Aloysius sacerdoti sacrificanti, & vinũ abluendo ori omnibus ad sacram mensam accumbentibus ingenti sua cum voluptate, & præclaro omnibus exemplo ministrauit. à prandio ad explicationem doctrinæ Christianæ ab omnibus reditum est. Familiæ suæ, fratrisque rebus ad hunc modum compositis, Mediolanum versus iter intẽdit ad XI. Kalẽd. April. anno M.D.XC. cum eodem anno 7. Idus Martias annum alterum & vigesimum suæ ætatis exegisset. Quia verò asperrimis frigoribus, quib' hyberno tempore in Gallia Cisalpina horrent omnia, manus ei intumescebant, rumpebãturque vt etiam sanguine manantes videre liceret, complures miseratione eius permoti, contendebant vt chirothecas, aut aliud simile tegmen gestaret. at ille dura patiendi, suique aspernandi amore ardens, nullo vnquam huius generis præsidio vt se muniret adduci potuit. Mediolanũ profectus in itinere Placentiam diuertit, vbi simul Collegium attigit, quidam è Patribus ad cubiculum eum salutatum, atque, vt peregrè abeuntibus, aut aduenientibus Societatis mores fieri amant, amplexum aduolat. ibi cum obsoleto panniculo calceorum sordes detergẽtem offendisset, ea species vehemẽter hominis animum ad pietatem, salubremq;

dolo-

dolorẽ accẽdit. nam & in ipsius ore sanctimonia quædam enitebat, & hoc vili ministerio intentum cernebat, quem se olim sęculi opibus florentẽ, frequentiq; famulorũ cohorte stipatum Parmæ vidisse meminerat. Postquam denique Mediolanense Collegium Societatis intrauit: *En!* inquit, *quantũ mihi solatium præbet quòd me videam pedem denuò domi nostræ fixisse; in quali nimirum esset, qui brumali tempore, è medio gelu, quo prope diriguisset, in mollem, calentemq; lectum transferretur. etenim tale frigus à domicilijs nostris disiunctus sẽtire videbar; tali nunc, ijsdem redditus suauitate fruor.*

Caput Septimum.

DE PRAECLARIS VIRTVTVM exemplis, quæ eo breui tempore, quo Mediolani versatus est, de se dedit.

QVemadmodum neque ignis inflammãdi, neq; lux illuminãdi, neq; præstans vnguentum fragrandi finem vllum facit: ita neq; B. Aloysius ardenti oratione aliorum animos accendere, neq; insignium exemplorum lumen præbere, neq; suauem virtutum, quæ in eius pectore erant reconditæ, odorem diffundere vnquam

ceſſans, in omni loco ſemper ſibi conſtitit. Atque vt aquæ, quarum naturalis curſus diutius inhibitus fuit, maiori ſe poſtmodum vi, impetuque erumpunt: pari ratione Aloyſius aliquot menſibus, dum Caſtilione res gerit, à ſolemnibus ſui caſtigationibus, exercitationibuſq; detentus, ſimul in Mediolanenſe Collegium ſe retulit, videbatur ijs depoſcendis atque obeundis exſaturari nõ poſſe. Itaque vix confirmatus è via prodit in triclinium attrita in penula, ſe ipſum apud ſocios accuſat negligentiæ, à ſeipſo, magno cum omnium fructu, pœnas repetit. Atque vt plurimum eum iuuabat, collegium Religioſa diſciplina præclarè florens, ac iuuentutem, non minus incenſis animis in pietatis, religioniſque perfectione, quá bonarum artium atque doctrinarum ſcientia ſtudentem intueri: item etiã quotquot in eo collegio habebant, poſtquam inter eos hoc viuũ omnis abſolutæ virtutis exemplar diuerſari cœpit, gaudium, atque lætitiã agitabãt. Multa mihi ab eo Mediolani laudabiliter geſta, neceſſariò hoc capite ſunt prætereunda ſilentio, primùm enim multorum hominum copiam, qui de ijs ſingillatim me docere potuiſſent, mors ademit. è quibus eſt P. Bartholomæus Recalcatus, qui cum in intimis Aloyſij fuiſſet, & Mediolanenſi Collegio, cum illuſtri ſanctitatis

laude

laude præesset, è vita cõcessit. Deinde quòd Fredericus Boromeus Illustrissimus Cardinalis, & Archiepiscopus huius vrbis, necdũ, vti se facturum recepit, gestorum eius instrumentum confici mandauit. Pauca igitur quædam persequar, quæ partim ab ijs qui per id tempus Mediolani ætatem agebant, alibi postea publicis tabulis consignata sunt, partim ab eius Collegij Rectore magna sanè diligentia, meo rogatu collecta. B. ergo Aloysius dum Mediolani degit prosecutus Theologiæ studia matutinis, pomeridianisque scholis, cæterisque literarijs exercitationibus sic interfuit, nulla vt re immunis aut eximius esse vellet. vtebaturque perindè ac cæteri, cubiculi socio, qui in eius mores semper intentus, plurimum ab eo fructus animo ferebat. Data illi erat vtenda Summa D. Thomæ eleganter compacta, inuolucro & fronte aurata, quam, ille cum nulla vi posset permoueri vt penes se esse vellet, lachrymans à Superiore petijt, vt cum obsoleta sibi commutare liceret. quam suam voluntatem tam incitato animi ardore declarauit, vt eius dolori leniendo, obsequi necesse fuerit. atque hoc sola cupiditate nihil à pauperum moribus alienum habendi faciebat. Quicquid vsquam à studijs nanciscì poterat otij, id totum, bona superiorum venia in culinæ, aut triclinij ministe-

rijs collocare, aquam coco haurire, lances, trullas, aliaque vtensilia sæpe eluere: triclinium cum sterneret, quò animum intentũ haberet in Deum, plusque gratiæ mereretur, singulis mensis suum cognomen addere. in qua Rector sederet eam dicere Christi D. huic proximam Deiparæ, cæteras deinceps, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum. Igitur quoties cum præfecto triclinio mensam sternebat, *explicemus*, aiebat, *mappam Saluatoris, aut Dominæ nostræ*, atque eodem modo cæteras appellare. In quo ille munere perinde inflammato affectu, propensoque in Deum animo versabatur, quasi reuera ad eas mensas Christus D. B. Virgo, cæterique Diui quibus se ministrare fingebat, accubuturi essent. suaue illi erat cum quotidianæ vitæ adiutoribus, remissionis tempore consuescere, aut foras egredi, tum quòd illam humilitatem amabat, tum quòd sibi tunc liberius de diuinis rebus loqui videbatur, gaudebatque omnibus ad cælestem vitam adiumento esse. In aliorum consuetudine, si quidem sedebatur, in extremum, aut incommodissimum locum, vbi ne anniti quidem vsquam posset se conijciebat: si stabatur in circulo, secundum aliorum humeros, sermones attendebat. sin deambu-

ambulabatur, priores deferebat omnibus. quod quidem illum non aulici alicuius moris, aut delitiarum gratia, neque vlla inani affectione facere liquidò apparebat.

Venit illuc ad eum quidam, qui in eius ditione fuerat, nescio quid postulatum, quod ad Marchionis dignitatem eius attingeret. cui ille, negauit vllam amplius sibi cum hoc mundo rationem esse, aut in quicquam auctoritatem vllam obtinere, quod quidem tam candidè, tantaque cum significatione submissi animi respondit, vt ille non modo præclaro exemplo informatus, sed etiam attonito similis abscederet. Obseruata in illo est immensa quædam animi grati propensio, simplex tamen minimeque affectata, qua vel de minimo officio gratias, nullo prope adhibito modo, identidem agebat. Interrogatus à quodam è Socijs, esletne homini lauto, & splendido difficile, has res fortunæ subiectas deserere, respondit, ne fieri quidem posse, nisi Christus Dominus huic tali, vt quondam illi qui cæcus erat natus, luto oculos imbueret, hoc est, harum rerum vtilitatem, quæ longè maior sit quã luti, ob oculos poneret. Confugerat ad eum quidam è Collegio opem ab eo spiritualem exposcens, quod suam animi virtu-

virtutem imperfectam, & imbecillam admodum esse fateretur, Hunc ille solatus est allatis è psalmo verbis: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur:* cùm diceret, etsi videre quantum à perfectione absimus, causã nobis det animi contrahendi, refici tamen ac recreari plurimũ necesse esse, cùm reputamus nos etiam licet imperfectos in libro tamen Dei scriptos esse, qui quod imperfectum in nobis est videt, non ad nos condemnandos, sed ad spiritus nostros comprimendos, maioraq; bona ex ipsis delictis eruenda. Hæc verba piè explicata, vt cœlestem spiritum facile agnosceres, mirificè illum mœrore leuauit, animosque addidit. Ea item cupidè domi, foriſque factitabat, quibus honor Dei causa, nec flocci fit. Hilariorum diebus nonnulli è socijs studiosis literarum in fora & compita Mediolanensia itabant, verbaque faciebant ad circumfusam plebeculam. Vnius ex his comiti vt sibi esse liceret, precariò à P. Rectore obtinuit. tum ipse circumire vicos, cogere multitudinem, aberrantes orare, vt socij sui concionem audire vellẽt. & erat tam singularis eius in orando humilitas, caritas, modestia, vt haud grauatè sequerentur. Dominicis, festisque diebus itẽ in publico capita religionis Christianę spõtè ac libenter exponebat, friguſque, quod

per

per id tempus Mediolani sanè erat acre, facilè patiebatur. Cognorat quondam vesperi, socium, qui religionis more vota susceperat, mendicatum per vrbem iturū postridie, hoc enim suijpsius compescendi, probandiq́ue causa tali tempore fieri in Societate consueuit. Aloysius ergò cum effeciſſet, vt sibi illum comitandi potestas esset, præ magnitudine lætitiæ non se continuit, quin eodem die, cùm vt assolet, excutiendæ conscientiæ omnes vacauissent, ad lectum illius socij hæc tanquam euangelia afferret. Postero die dum vicatim stipem cogit, multò maxima illum lætitia cœlestis inuasit. itaque identidem quasi iubilans has per vicos iterabat voces. *Etiam D. N. Iesus Christus ad hunc modum stipem conquisiuit.* Aliàs item in veste lacera mendicatum egressus, interrogatus est à nobili femina, specie quidem ipsa leui vt quæ maximè: essetne vnus è Patribus, qui ad ædem D. Mariæ Breranã habitaret, ibi enim se nosse quendam aiebat, postquam Aloysius annuit. Heu! inquit illa, miserum illum Patrem, en quò iuit se perditum? Quibus è verbis opportunitatem nactus doctrinæ illi melioris lucem impertiendi, erroremq́ue demendi, magna vi diuini spiritus cœpit differere, Non esse illũ patrem vt ipsa sentiret miserum, sed beatũ, neque ad perniciem, sed ad perfectam vitã

deue-

deneniſſe. quin ipſam potius quæ inter huius ſeculi opes, atque, vt quidem appareret, multas delitias ætatem conſumeret, in miſero, & infelici vitæ ſtatu, ſempiterni interitus periculis obiectam eſſe. Quibus illa verbis commota in præſens quidem ſuæ dementiæ grauiter ingemuit, poſtmodum verò, haud ſegniter ad virtutem mores ſuos correxit. Muneris eius fuit araneas circum Collegium decutere, quo fungebatur ſanè gnauiter. ad hoc obſeruabat, num quem ſenatorem, aut alium luculentum virum ambulantem deſpicere poſſet in periſtylio. tum verò ſubitò prodire perticâ, cui ſummæ, ſcopæ alligatæ erant, armatus, & quò ab ijs homo abiectus, & nulli rei putaretur eſſe, ob eorum ora ad ad periſtylia mundanda incumbere. quod vſque eò illi ſolemne erat, vt quoties Aloyſium cum ſua pertica egredi conſpicarentur, id Patribus argumento eſſet, externum quempiam aliqua auctoritate virum, in collegium veniſſe. Epiſcopi nonnulli alijque antiſtites prandium in collegio condixerant. Rector, quò illis Aloyſij cognoſcendi locus eſſet, iuſſit eum ſuper menſam concionem habere in triclinio. Hoc onus, vt erat, in ſpeciem illuſtrium munerum, fugitans, & latendi cupidus, deprecari optabat,

tabat, sed mandato superioris minimè refragari ausus, elegantem sanè, grauem, & eruditam de episcoporum officio orationem habuit. Gratulanti deinde cuidam de fælici concionis euentu: sibi, inquit, eo die, nihil accidisse lætius, quam quòd publicè blæsum se esse sit cognitum. Siquidem literam R. minus expeditè proferebat. Crebrò veniam poscebat dicta sibi obiectantibus in triclinio os præbendi. quod quidem in collegio Romano, indignatus laudari se, cum argui vellet, iampridem intermiserat. Quia verò, vt erat ferè eius animus in Deo, ab obuijs se salutari minimè sentiebat, de eo palàm admonitus, multis superbiam suam damnauit, ac deinde diligentissimus in hoc genere fuit, atque ita studuit mentem suam Deo coniungere, ne tamen suo humanitatis officio deesset. Singulare vniuerso collegio submissionis, modestiæ, obedientiæ, studij, disciplinæ religiosæ specimen erat, & quando eo loco ducebatur ab omnibus, nemo non eximia eius virtutis fiducia, pietatisque sensu in eius familiaritatem se immergebat, etsi ipse, vt erat quisque in Dei cultu feruentior, ita libentius se ad eum applicabat. nimirum vt de pietatis officijs conferens

ferens vicissim illius cœlestis gaudij particeps esset. Eo vita functo Bernardinus Mediceus vir non minus dignis religioso homine virtutibus, quam natalium claritudine illustris, & Aloysio perfamiliaris, Mediolano ad me scripsit in hunc modum. *Aloysius frater noster longè optimus, confirmauit mihi, constantiam, & perseuerantiam in exiguis rebus sibi inprimis cordi esse. hanc esse proficere cupienti virtutem maximè necessariam. igitur in actionibus omnibus suis, ordineq; quotidiano vno tenore se gerebat. Rem periculi plenam esse, aiebat, affectū ducem sequi. tutam viam esse, quam cognitionis, rationisq; lumè ostendat. quare animo laborabat, vt mentis suæ lucem factis æquaret. negabat tamè se vnquam eousq; posse progredi, quò illa monstraret. quanto enim plus operæ conferebat, tanto plus illi lucis oriebatur. Desiderabat ardentissimè aduersa perpeti, ac mihi aliquando negauit, se clarius cuiuspiam sanctitatis documentum posse reperire, quam si eum bona conscientia in malo esse, hoc est, si innocenti grauia sustinendi materiam Deum obijcere videret. De omnibus ex animo bene sentiebat, delicta tamen, quorum erat manifesta prauitas, minimè approbabat, sed, quod licebat, in meliorem partem interpretabatur. Cæteros de suis erratis singulari officio & prudentia admonebat, & vicissim orabat admoneri de suis. Quidquid ageret pietatem, charitatem, prudentiam præstabat, leuitatem nunquam. Toto tempore, quo illo sum vsus, nullius perturbationis motum in eo vel primum animaduerti. nihil in eius moribus,*

quod

quod notam mereretur. nunquam illum vel in minimare vidi ex industria labi. nullam vnquam religionis legem negligere. Erat quidem ille in omni virtutum genere singularis, sed in eo præcipuè, quòd in tanta virtutum copia nulla in re singularis esse videretur. quam equidem virtutem longè omnium eminentissimam esse iudico. At que hæc mihi iam quidem de illo succurrerunt. Eodem temporis spatio, sermo per collegium fuit, Aloysium excellentissimo precandi munere pollere, neque vnquam inter orandum à Deo abduci: iccircò Achilles Galiardus vir doctrina, & authoritate præcellens, non semel in sermonem cum eo ingressus de rebus cœlestibus, ad rationem etiam mentem Deo perfecta caritate iungendi, quam vulgò viã vnitiuam, Theologi Theologiam mysticã appellant, tandem deuolutus est. Ibi liquidò cognouit super alia dona multò maximè eximia, quibus sanctus eius animus cumulatus erat diuinitus, etiam cum Deo incredibili quodam modo cõglutinatum esse, mysticæ Theologiæ fructum haurire quotidiè, circa diuinam illam caliginẽ, de qua Magnus Dionysius Areopagita præcipit, versari, illam complexum esse illa frui, in illa longissimè prouectum esse. Itaque comperto tantas virtutes, tamque sublimis fastigij, quantum vix mortalis conditio recipit, tã altas in adolescentis animo, qui vix

quartum annum in religione egerat, radices fixisse, iamque suo quidem iudicio eum gradum tenere, quem raro admodum, ijque perfectæ & consummatæ religionis viri non nisi inusitato quodam Dei præsidio attingere soleant; ingens ipsum simul admiratio, gaudiumque compleuit. Quia verò plerique omnes, qui tantos in hac se Deo deuinciendi disciplina progressus habent, ad aliorum procurandam salutem dolenter descendunt, proculque ab hominum strepitu, cum Deo ferè in eius contemplatione altè defixi, versantur, tentandi causa subiecit, Mirari se huiusmodi functionem mentis non perinde ipsi ac pugnantem cum Societatis instituto, suspectam esse. quippe cum huius sit, promiscuo cum omni hominum genere congressu, conuictuque animorum saluti studere. at verò mystica illa cum Deo necessitudo, nullius vtilitatis obtentu hominem ad hominum cœtus dimittit, sed agendi cura alijs relicta, optimam partem, quæ in contemplando sita est, eligit. Huic respondit Aloysius se quidem si hæc quæ diceret, in animo suo effici sentiret, ab ea velut suis rationibus aliena consectanda refugiturum. Quod responsum multò etiã magis, illum obstupefecit. intellexit nimirũ, admirabili quodam Dei beneficio vtramque

que eum inter se rationem iunxisse, sic vt neque illa, quæ Deo perfruitur, alteram impediret agendi studiosam, neque hæc illam distringeret. adeoque in altissimo positum esse consuetudinis cum Deo statu, qui amore, & perpetua nostræ mentis ad eius volũtatem confirmatione fit. nempe cùm animus amoris vi elatus in Deum, cognito, quanto ille zelo flagret salutis animorum, è fastigio illo in quo per beatum otium Dei se cogitatione pascebat, eiusdem amoris stimulis ad negotium, curamque opitulandi hominum animis redigitur. Igitur ex eo tempore nunquam Achilles desijt, hoc tam notabile donum Aloysio tributum diuinitus prædicare, idque triplici scripto, ac iureiurando confirmauit. Erat iam Beatus adolescens pro tot suis virtutibus æternæ gloriæ maturus; quippe vita quam in terris inter mortales angelicum in modum semper coluerat, dignum eum cœlorum domicilio, Angelorumque societate reddebat; quando Deus indicium fecit velle se eum ad præmia, quæ tam breui spatio, quo vixerit tanto studio, & labore sit promeritus, capienda ad se accersere. Etenim cum Mediolani etiam moraretur, paulò amplius anno priusquam abiret è vita, matutinæ orationis tempore, cùm totam animi mentem intendisset in Deum, ille eam

intus quadam luce perfudit, in qua manifestò cognouit, paucos, quibus esset victurus dies supereſſe, atque insuper præceptum accepit, vt instanti anno quàm posset perfectissimè, animo ab omni mortalium rerum studio diuulsō, Deo seruire, & maiori quā adhuc curâ; omni seipsum virtute interius, exteriusque adornare studeret. Mente ad hunc modum illustrata mirificè se mutatū, & longè, quàm antea, longiùs affectum suis ab his fluxis rebus distractū esse sensit. Hoc Dei oraculum, præter P. Vincentium Brunum, paucosque alios, quibus Romam reuersus aperuit, cæteros omnes celauit. Interea proindè ac erat solitus Theologiæ studijs inuigilabat. tametsi quòd sibi intimas quasdam faces assiduò admoueri sentiret, vt cor totum in Deo figeret, minus iam animum ad ea applicare, ijsque oblectari poterat. Ceperat eum cupido Romam, vbi spiritus religiosi primitias deguſtârat, redeūdi, totque notos, & cœlestium rerum Societate secum coniunctos reuisendi. Sed quoniam cauere instituerat ne alterutram in partem vnquam magis propenderet animo, cupiebatque rem integram superiorū arbitrij esse, hoc etiam suum desideriū occultum habebat. placuit nihilominus Deo, vt tot adolescentibus, quibus cum in collegio Romano sacra illi necessitudo inter-

cesse-

cesserat, recreandis eò remigraret. Igitur Præpositus Generalis, vbi videt negotia omnia, quorum gratia in Galliam Cisalpinã missus erat, confecta esse, & elapsa hyeme opportunum itineri faciendo tempus aduenisse; præsertim cùm Collegij Romani Rector, studio spiritualis commodi tot adolescentum, qui ex eius aspectu, & consuetudine plurimum profecturi essent, idé enixè oraret; eum tandem Romam reuocare statuit, mihiq́ue datur negotium, vt primus eum per litteras faciam de hoc decreto certiorem. Quo nuntio accepto tantam lætitiam animo cepit, vt veritus ne mediocritatis cancellos excederet, à P. Bernardino Mediceo postularit, vti pro se sacrificaret, Deumq́ue precaretur, si ad maiorem ipsius numinis gloriam faceret, ne fieret huius sui voti compos. Accepto non ita multò post ab ipso Pręposito Generali mãdato, vt rediret, ad complures litteras dedit plenas egregiæ cuiusdam voluntatis notis, quibus causas afferebat, quamobrem tãta Romæ ætatem agendi cupiditate teneretur. In ijs, quas ad me dedit, sic ait: *Credo equidem non esse difficile tibi persuadere, quantũ voluptatis afferat mihi, quod Romano Collegio sim destinatus, liceatq́, meos, qui istic sunt Patres, fratresq́, spirituales, aliquando reuisere. Interim enim stabit mihi illa consuetudine frui; quam mi-*

bi tecum, alijsq; familiaribus, multò etiam quàm antea fructuosius DEO *opitulante instauratum iri confido. Quæso, vt ijs singillatim me commendes. nam toti Collegio Romano communiter ex toto corde, & mente, & animo, totoq; affectu me commendo.* Aliam causam perscripsit ad Patrem sui quondam tyrocinij socium, quicum agens de primo illo nuntio, quem de suo Romam reditu iam decreto, acceperat, ita loquitur. *Cui quidem tanto libentiori animo, simul revocatus fuero, morem geram, quòd, si nobis patria est super terram, nullam equidem aliam agnoscam præter Romam, vbi genitus sum in Christo Iesu:* Perlato ad eum mandato, ineunte mense Maio anni M. D. XC. itineri se dat, in eoque eandem, quam in cæteris, viuendi rationem secutus est. Comitibus & cœlestem voluptatem efficiebat, & anteibat exemplis. ij, cum cernerent quantum quidem in ipso esset, silentio plerumque ferè vti, & animo quasi à sensibus abstracta esse, dabant operam, vt eum à continua commentatione auocarent. Grauis per id tempus annonæ caritas Italiam incesserat. igitur tum alibi per vias, tum præcipuè in Apennino, qui hodie Hetruriam à Gallia Cisalpina disterminat, homines egenos passim fame confectos offendebant. His conspectis Pater quidam Aloysio: Magno, inquit,

quit, beneficio nos Deus affecit, cum nos in simili ac istos inopia nasci noluit. Cui ille euestigiò respondit: *Maius verò est, quòd in Turcarum ditione nati non sumus*. Videbatur sibi ALOYSIVS ab his Patribus plus æquo obseruari, & pro eorum in se caritate accuratius haberi. idcircò alium quendam patrem conuenit, ostenditque in desiderio sibi esse alijs comitibus, qui nullam sui rationem haberent, viam conficere. Delatum Senas cupido tenuit in Sacello D. Catharinæ Senensis Eucharistiam capiendi, quod, cum inibi sacerdoti è societate ministrauisset, iucundissimo pietatis sensu facere datum est. Rogatus in Collegio Senensi, vt apud adolescentes, qui sunt in sodalitio Virginis Matris verba faceret, postquam condixit operam, in Odeum se recipit. Ibi ante sacram Eucharistiam, nullo inspecto libro, paulisper meditat⁹, ac deinde regressus in cubiculum, quæ conceperat animo, cõpẽdio annotat. Habuit sermonẽ ad pietatẽ tã appositum, & efficacem, vt ex ea iuuentute, quę eius conditionis, ac loci haud erat ignara, pluribus desideriũ fortunæ spernendæ, & cõplectendæ religionis incusserit. Eius sermonis exempla multis postea tribuenda fuerunt instantius efflagitantibus. & Concionator quidam de Societate ipsum beati adolescentis autogra-

phum suæ in illlum pietatis monumentum hodieque conseruat. Postquam ad extremū Romam deuenit, communi sociorum omnium Romani collegij gaudio & hilaritate acceptus est, quos eius videndi, alloquendi, sanctissimoque conuictu fruendi satietas nulla capere posse videbatur.

Caput Octavum.

De consummata perfectione B. Aloysij, & suprema inualetudine.

Sapientis sententia est in prouerbijs, viam iustorum hominum, quam ipse semitam nominat, esse instar resplendentis lucis, quæ à maligno lumine diluescentis, atque albentis auroræ exorta, alia atque alia claritate semper augescit, donec in perfectum diem, quem in cœli summo vertice constitutus sol efficit, tandem euadat. Talis fuit B. Aloysij sancta vita. Eluxit in ea iam ab anno ætatis septimo candor quidam innocentiæ; neque postea vnquam desijt plus illi plusque fulgoris accedere, quando ex vna virtute semper progressus ad aliam, nouis quotidie bene promeritis, nouaque diuinitus luce semper inclaruit, donec in tantum decus splendoremque emicuit, vt non modo

modo perfectum diem assecutus, sed etiã, quod de Philippensibus dixit Apostolus, ipsemet luminare lucens in mundo, factus esse videretur. Quod si verò fuit vllum tẽpus antehac, quo talem se præbuit, certè hoc postremo suæ ætatis anno, ijs qui familiariter cum eo vitam degebant, conspicuum harum rerum specimen dedit. Siquidẽ relucebant in eo consummatæ virtutes, totoq; animo, & affectu in cælo potius quàm in terra positus, vitã quasi extaticam, atque ab omni rerum fortunę subiectarum sensu abhorrentem viuebat. Vt venit Romam, iampridem, aiebat mihi, est, postquam mortuos meos sepeliui, non est quod de illis præterea mihi curæ sit. tempus est, iam de altera vita cogitandi. Non multò postquam aduenerat, defert ad P. Rectorem scripta omnia cum Theologica, tum ascetica, atque inter illa quædã quæ suopte Marte in D. Thomam sanè quam eruditè erat cõmentatus. Percunctanti Rectori, quid ita scriptis Theologicis, quibus illi opus esset, ac præcipuè his quæ ipsemet elaborasset, seipse priuaret? id propterea se facere respondit, quod in hæc seorsim velut ingenij sui partum nonnullo se amore ferri sentiret, cæterarum rerum mortalium nulla amplius teneri. voluisse his se etiam orbare, vt animum ab omnibus porrò seiunctum haberet

beret. Adhęc accuratam quandam in explorandis perfectæ vitæ officijs subtilitatem erat adeptus, quam à Religiosis hominibus, non modo mandari memorię, sed etiam factis exprimi par sit. Nam omnibus ferè hominibus, quoties in pręstantium virorũ atque eorum præcipuè, quorum in potestate sunt, se amore, & gratia pręcipua esse intelligunt, naturalis quędam gestientis, sibique palpãtis animi dulcedo surrepit, quòd illi hoc velut euidenti testimonio, ac documento, se in ipsorum moribus acquiescere demonstrent: itaque sępenumerò de eo nonnulli nõ modo sibi gratulantur, sed in familiarium quoq; congressionibus meminerunt. Longè alia Aloysio mens erat. Vsque eò siquidem omnem sui ipsius amorem extinxerat, & ne cuiusquam animus ad se potissimum adhęresceret, deprecabatur, vt ne à superioribus quidem se peculiari amore, vel obsequijs affici sustineret. Si quis se eum prę cęteris diligere significaret: neque respondebat amori, & dolorem animo capiebat. Idcirco qui ipsum regebant, quo ei gratificarentur, non pluris se eum quam cęterorum quemuis ęstimare monstrabant. Cum in omni consuetudine affabilis ante alios fuisset, tum per hoc tempus nihil illo comius, nihil erga omnes suauius fieri poterat, adeò immensa & communi

muni quadã caritate omnes amplectebatur. ergo certatim ad eum de Deo, de felicitate cœlesti, de perfectione virtutis remissionum tempore dissérentem audiendum concursus fiebant. Equidem & expertus ipse, & aliorum sermone sum edoctus ab eius congressu inflammatiores multos quàm ab ipsa oratione discessisse. Si quos erat nactus, quibus confidenter se absque arbitris indicare fas esse sciret, eis tam diuinos sui pectoris affectus expromebat, vt eis admiratione perculsis simul ingemiscendi, simul tam inusitatam cum Deo coniunctionem venerandi causam daret. Quocumque se ferret nunquam præsentis, & sua omnia arbitrãtis Dei memoriam deponere: Dei amore sic flagrare, vt siue à legente super mensam, siue à sermocinantibus eius mentio fieret, eueſtigiò mens et cœlesti voluptate, diffluere, palamque eius signum daret toto vultu inflammato, & loquendi facultate tantisper inhibita. Id cum alias, euenit, tum aliquando inter mẽsam, cùm nescio quid de diuino amore legi audisset, subitò sensit ex intimo pectore velut flammam erumpere, cuius vi ab edẽdo cessare coactus est. Ea res nos qui eandem mensam circumsedebamus, aduertit. ergo rei ignari ac veriti, ne grauiter affectus esset, intenti in eum oculos defigimus,

mus, interrogamus satin' rectè haberet. Ipse, qui tum quidem nullum verbum facere posset, seque deprehensum esse sentiret, tãtò magis verecundatus, oculos deijcere: lachrymæ prorumpere: facies ardere: pectus sic intumescere, vt essemus in metu ne qua eius vena rumperetur: omnes ipsius miseratione commoueri. extrema tandem mẽsa pedetentim ad se redijt. Erant, quibus cum hæc essent cognita, vt erubescentem viderent, de industria in sociorum circulis sermones de Dei in humanum genus caritate inferebant. alij contra ne quam corpore aut molestiam aut noxam conciperet, huius generis colloquia interrumpere studebant. In exedris & ambulacris spatians, tam longè animum abducebat à sensibus, vt eum dedita opera salutandi causa præteriens sæpè fefellerim. Ibidem coronas Virgini Matri recitabat, aliaque pietatis officia frequentabat interuallis, modò submissis genibus, modò erectus: & tamen affectationis notam, quæ alteri hæc palam facitanti facile hæsisset, apud omnes euitabat. Hoc anno lectioni rerum sacrarum horam singulis diebus designatam habebat. Multum teneri videbatur legendis soliloquijs D. Augustini, vita B. Catharinæ Genuensis, sermonibus in Cantica D. Bernardi, præcipuè verò epistola quæ inscribitur, Ad fratres

tres de monte Dei, quæ inter opera D. Bernardi legitur. eam tanto studio volutarat, vt propè edidicisse videretur. Inter legendum excerpebat, atque annotabat reconditas quasdam de pietate sententias, quas post eius mortem ipsius manu descriptas reperimus. Mense Nouembri, anno M. D. XC. quartum iam annum Theologiam studere incipientem Rector cubiculum seorsim à socijs habere compulit: ibi ille agere vti sibi in modico quodam domus angulo, vetusto, atro, humili, angusto, vnica in tecto fenestra, habitare liceret, qui scalis imminēs, præter vilem eius lectulum, sellam ligneā, & scabellum, in quo eodem & precanti, & studia tractanti nitendum erat, nihil admodum capiebat. itaque quod esset arctæ custodiæ, quam cubiculo similius, nemini antea studioso attribui consueuerat. In eo loco cum eum aliquando visitaret P. Rector exultantem, & perinde de exiguo illo tugurio atque de amplo palatio gaudētem offendit. Itaque per iocum dicere illi solemus, quemadmodum D. Alexius infra, sic ipsum supra scalas pauperis in modum diuersari voluisse. Ad summam ita omnes sāctitatis partes explebat, vt complures eius superiores, contubernales, ac condiscipuli iureiuràdo asseuerarint, à nemine quoquā vel venialis culpæ compertum esse. Qui cō-

titenti

fitenti dabat operam, negabat se vnquam, nisi nouo ex eius confessione hausto lumine ab se dimittere. Alius Pater item iuratus affirmat, se qui duos plus minus annos eodem quo Aloysius cubiculo sit vsus, cúque in mandatis vterque in Collegio Romano à Rectore habuerit, vti alter alterum de vitijs, si quæ in eo animaduertisset, pro caritate commonefaceret, toto tamen biennij spatio, quo Aloysium perpetuò in oculis, atque omni familiaritate, & quasi necessitudine connexum habuerit, nihil vnquam ab eo commissum obseruasse, in quo vel vmbra alicuius delicti resideret. Erant huius sancti adolescentis compositissimi affectus: in continendis in sua ditione sensibus summa vigilantia: arctissima cum Deo societas: cæterorum hominum ad immortalem salutem, suorum sodalium ad supremum omnis sanctimoniæ culmen prouehendorum ardentissima cupiditas. Denique, vt breue faciam, absolutæ innocentiæ exemplum & erat, & domi, forisque audiebat. Sacerdos quidam, concionator tam exquisitam eius sanctitatem tantoperè venerabatur, ac propè horrescebat, vt cùm neque opportunitas, nec voluntas ei deesset, tamen, quadam reuerentia impeditus, ad eum se adiungere, atque in eius congressum dare semper abstinuerit. Paucis ante men-

tē mensibus quàm in supremum morbum incideret, ingenti cœlestis beatitudinis desiderio rapi se sensit: quo tempore crebrò, ac libenter de morte loquebatur. Solebat inter alia dicere, quo longius vitam extraheret, hoc se magis de salute sua trepidare. Itaque si longinquior sibi vita contingeret, & venientibus annis maioribus etiam occupationibus implicaretur, initiaretuŕque sacerdotio, longè etiam de ea incertiorem fore. Causam reddébat: fore enim, vt Deus à sacerdotibus, quorum est statas ei preces ferre, & sacra facere, ac multò magis ab ijs, qui præterea hominum animos curent, pœnitentia lustrent, conciones sacras habeant, ministrent sacramenta, alios gubernent, accuratam rationem reposcat. in eo verò statu, in quo tunc versaretur, cùm necdum ad vllos sacros ordines euectus esset, neque grauiora negotia sustinuisset, ac proinde plurium culparum causlas procul adhuc haberet, melius se, de suo exitu confidere. si igitur Deo videretur, minimè se hac ætate mortem reformidare. Huius illum voti compotem, tempore, vt dicam, oblato, Deus fecit. Annus M. D. XCI. sæua lue, quam ex annonæ grauitate vbique consecuta fames toti

Ita-

Italiæ afflauerat, longè infestissimus erat ea Romæ præsertim ingentem hominum vim, quæ spe benignitatis alienæ ex omnibus circumregionibus eò confluxerat, extinxit. Hanc communem calamitatem Patres Societatis Iesu omni ope atque opera, quà impensa de suo, quà ex aliorum liberalitate corrogata stipe subleuare laborarunt. igitur non vrbanis modò valetudinarijs operam nauarunt, sed insuper, rebus in ea necessitate sitis, voluntate Claudij Aquauiuæ Præpositi Generalis, nouum quoddâ in tempus aperuerunt. atque ipse Generalis præpositus etiam ad hominum elephantiasi obsitorum ministerium se abiecit. Quo tempore B. Aloysius victu per vrbem ægris egentibusque summa hilaritate conquirendo, singulari sua caritate magnam omnibus intuentibus mirabilitatem fecit. Sed tunc præcipuè, quando, comperto nobilissimú quendam Principem, qui cum à puero amicitia illi, & familiaritas erat, ac nonnullos pietatis igniculos alere senserat, Romã negotiorum causa ad Gregorium XIV. Pont. Max. aduenisse; à Præposito Prouinciali copiam orauit eius in habitu pannoso, & suspensa ex humeris manticâ, salutandi. Primùm enim aiebat se sperare, eum in pauperes, qui in valetudinario iacerent, munificú fore. Deinde quandoquidem illo beneuo-

lenti

lenti cumprimis semper esset vsus, par esse, vt aliquo pio officio gratiam referret, existimare porrò ad eius animum salutari rerum omniũ mortalium despicientia imbuendum non absre futurum ad illum in hoc vili schemate visere. Exorata licentia vtrũque, vti mihi post eius Principis præfectus prætorio retulit, assecutus est. nam & eleemosynæ in egenos nomine non leuẽ summam abstulit, & Princeps ipse eius aspectu, laudabili dolore permotus, atque ad meliora accensus, hanc demissionẽ plenis pietatis sermonibus est prosecutus. Quin & ipsemet adire valetudinarium, & ægrotis deseruire cum imbibisset, non nisi potestate, à superioribus, qui cunctantius eum audiebant, impetrata, à sancta quadam contentione, obducendisque sociorum, quibus id concederetur exẽplis, conquieuit. Iuit ergo, & sæpius vnà cum socijs, quos inter Tiberius Bondius. hunc cũ nescio quis admoneret: caueret diligenter, ne contagione malum contraheret: Se verò respondit, qui ante oculos tanto claritatis impetu anteeuntem Aloysium cerneret, ne obiecto quidem mortis periculo ab eo labore deterreri aut velle, aut posse. Hic idẽ Bondius per eosdem dies insolitum quendam feruorem sensit à diuino spiritu sibi subijci, mirantibus simul, gratulantibusque hãc

redintegrationem, & ardorem nouum animi, qui hominem ante cognôrant. atque eis ipse primus, vt mox referemus, eo morbo extinctus est. Ad ægros euntibus comitabatur semper sacerdos quispiam, qui illorum confessiones audiret. cum primis verò P. Nicolaus Fabrinus Florentinus, id temporis Collegij Romani Minister vir iudicio pollens, religiosisque virtutibus, & caritate abundans. is cùm ex interioribus Aloysij fuisset, postea cùm Florentinum Collegiũ gubernaret, quæ in valetudinario, quæque in morbo, Aloysio euenerant, scriptis mandauit. Horrendum quidem erat tot moribundos homines valetudinarium perreptantes fœtidos, fœdosque, & subinde in angulos, aut de scalis exanimes prolapsos, animam exhalantes intueri. At verò in B. Aloysio, eiusque Socijs species quædam emitebat eius amoris, quo cœlites inter se iunguntur. Ipsi ægros exuere, pedes abluere, lectulos reponere, in ijsipsos collocare, cibũ ministrare, de pœnitentiæ sacris erudire, ad sedatè ferendos dolores hortari. atque obseruauit Pater, quem paulò ante laudaui, Aloysium vt esset quisque teterrimo aspectu, ita plurimum iuxta eum esse solitum, sic vt ægrè auelli videretur. His illi miserorum obsequijs, dum pro Christianâ suâ in eos caritate maximè tenentur lues, vt erat conta-

contagiosa, aliquot è B. Aloysij socijs inuadit, quorum princeps, vt ante memini, Tiberius Bondius piè inuidente Aloysio in breui discessit. Hunc iam animam agentem cùm cerneret, sacerdoti condiscipulo suo: *Quàm libenter*, inquit, *meam cum Tiberij conditione commutarem, & si DEO placeret id mihi gratiæ facere, pro eo morerer*. Patri nescio, quid contrà tendenti: Id se ait, iccircò precari, quòd nunc habeat, cur se Dei gratia imbutum esse confidat, quid deinde futurum sit nescire. proinde mortem sibi nunc volenti fore. Neque diu Deus eius preces audire cunctatus est. Nam cum eum superiores ad illud valetudinarium, in quo iam multos graui inualetudine tentatos videbant, redire vetuissent, neque tamen ille pro suo sanctitatis amore vt eodem remeatus daretur instare cessaret, concessum tandem est, vt in valetudinarium, cui à Consolatione nomen est, in quo plerumque nulli sunt quorum morbi contactu vulgentur, se conferret. Nihilominus ipse etiam confestim in eundem morbum cecidit, lectoque se dedit V. Nonas Martij, anno M. D. XCI. quo morbo vt se oppressum sensit, ratus pro eo ac Mediolani à Deo cognôrat, hunc postremum fore, incredibili

bili lætitia circumfluere, eamque cum vultu, tum moribus omnibus præ se ferre. illi verò quibus Mediolanense illud oraculũ crediderat, ex hac effusa hilaritate, breui solutum iri corpore, augurari: Neque ideo falsos habuit. Vbi se tanto moriendi desiderio accendi sentit, subuereri cœpit, ne modũ non teneret. ergo vt id exploratum habeat, Bellarminũ moderatorem suę conscientiæ consulit. Postquam verò ab eo est edoctus amorem mortis è cupiditate coniunctionis cũ Deo profectum, dummodo in Dei potestate velimus esse, nihil habere noxæ, atque à pluribus quique maiorũ, quique nostra memoria sanctitate floruerint, vsurpatum esse, tum verò ille toto se animo cogitationi æternæ vitæ dedidit. Eò erupit vis morbi, qui pestilens febris esse credebatur, vt in septẽ diebus, eum ad extremos vitæ fines adduceret. ergo cum sollicitè, pieque, vt cum maximè, animũ confessione deterfisset, sacro viatico, & Extrema vnctione, à P. Rectore munitus est, ipso cum maximo pietatis sensu solitas preces prosequente, cæteris omnibus, qui aderant, de tam cari, sanctique fratris iactura collachrymantibus. Cæterum quia commoda adhuc valetudine vtentẽ complures è familiaribus pro suo in eum amore, sæpe conguerant, quòd nimia pœnarum acerbitate,

quibus

quibus corpus, animũque assiduò exercitũ haberet, interitũ sibi maturare videretur, ac fore prædixerant, vt, quòd D. Bernardo euenisse legimus vel in ipso vitæ exitu, huius eum immoderati ardoris pœnitentia caperet: hunc vt omnibus metũ eximeret, cęlesti iam viatico instructus, referto sociis cubiculo P. Rectorem rogat omnibus suo nomine disertè affirmet, in hac quidẽ re nullo se scrupulo pungi, verùm id potius dolere, quòd plurima omisisset, quorũ potestatem superiores facilè concessuri fuissent. horum si voluntati obtemperarit, omnem animi sui angorem depulsum esse. Adhoc, nihil se vnquam arbitratu suo, sed omnia eorum permissu fecisse. adiecit & illud nulla se vllius religionis suæ legis vnquam violatæ conscientia cruciari. quod iccirco ab eo dictũ est, ne in cuiusquam animo, qui ipsum plus aliquid, & præter cæterorum cõsuetudinem facere vidisset, vllam offensionem, aut perperam sumendi exempli materiã relinqueret. quæ omnia maiores etiam motus fecerunt animorum. Ingressum ad se P. Prouincialẽ orabat, sibi vt eius venia flagello in se vti liceret: illo negante, tam infirmo vires ad cædendum suffecturas: at saltem, inquit, permitte, alius quispiam à vertice ad calces totum me conuerberet. Ne id quidẽ iam fas esse respon-

det pater. verberantem enim discrimen contrahendæ notæ Ecclesiasticæ, quam irregularitatem dicimus, aditurum: cum hoc etiam præcidi videret, denuò instantius id vnum flagitare, vt humi prostrato emori daretur. tantus extremum etiam spiritum trahenté, crucis, pœnitentiæ, afflictationis amor obtinebat. sed ne id quidem datum est. Iam propè constabat eo die, qui erat morbi septimus, viuendi finem facturum, quo ipso explebat annum ætatis tertium, & vigesimum. verùm Deo visum est fracta ac mitigata eius vi, ægritudinem extendere, scilicet, vt pluribus virtutum exemplis, quibus dum lecto se tenuit, nobis præluxit, informaremur. Interea iam Castilionem vsque Aloysium vixisse fama nunciarat, iamque ei mater, & frater exequias fecerant, cum nuntius affertur etiam viuere. Ibi Rudolophus Marchio eius frater gaudio exultans torquem aureum, quem forte è ceruice gerebat discerptum frustatim in circumstantes, cum nuntium acciperet, partitus est. Simul primus ille mali ardor deferbuit, hæsit Aloysio Febricula lenta, hectica, quæ trium mensium spatio pedetentim illum absumpsit. quo tempore multa quidem ab eo præclarè ad exemplum facta, dictaque sunt, sed quoniam fieri non potuit, vt ex tanta, tam-

que

que varia hominum multitudine, quæ ad illum visendum venit, omnia colligerentur, quæ mihi quidem cognoscere licuit, pauca hic collocabo. Cum primùm in morbum incidit, compositus erat in lecto, cui velum erat obtentum è crassa vndique tela, vnà cum storea, quę seni cuidam destinata fuerant, Aloysius à superiore petijt, vt, submoto hoc velo, cæterorum more sibi iacere liceret. At vbi responsum est, neque eius gratiâ positum esse, & inopi aptum, ac rude esse, à quo religiosæ paupertatis infirmandæ periculum nullum esset, subitò acquieuit. Initio valetudinis mandârat Medicus, vt ipse, atq; item alter qui simili malo tenebatur, perquam amaram potionem haurirent; alter ille operam dedit, vt fugiẽdæ nauseæ causâ, suam quam citissimè sorberet, alijs etiam, vt assolet, ad id præsidijs adhibitis: at ALOYSIVS quo salutarem sibi molestiam faceret, perinde ac dulcissimum liquorem sensim totam obducere, neq; vllum deinde perceptæ amaritudinis signum dare. Valetudinarius in eius cubiculo modicum candidi sacchari, atq; item succi glycyrrizæ, eius ori subinde, aduersũ destillationes reficiendo supra mensam posuerat. poscentem pauxillum succi illius glycyrrizę socius percũctatur, Quin potius saccharum peteret: *Quia*, inquit, *alterum*,

paupertatem magis decet. Cùm accepiſſet eo anno periculum eſſe, ne qua peſtis exiſteret, non modo ſuperiori ſe paratum oſtendit, ſi conualeſceret, ea affectis miniſtrare, verum etiam à Præpoſito Generali, qui eius viſendi cauſſa venerat, facultatem poſtulauit id etiam Deo vouendi. Qua impetrata inſigni cum animi ſui voluptate, & eorum profectu, qui rei conſcij, & eximiæ caritatis, quam eo facto oſtendit, teſtes fuerunt, votum ſuſcepit. Crebrò inuiſere ægrotantem Roboreus, & Scipio Gonzaga Cardinales, quos fructuoſis de pietatis doctrina, deque beata vita ſermonibus tenebat. P. Rectori ſignificanti: non eſſe quod tanto ſuo incommodo toties accederent. ſe eos de Aloyſij valetudine facturum certiores; negarunt poſſe ſe committere, quin venirent, quando vberem inde caperēt animorum ſuorum fructum. Scipio Cardinalis podagra laborans, deferri ad eum ſe iubebat, neque ab eius lecto dijungi poſſe videbatur. Cum hoc quondam Aloyſius de appropinquante ſua morte, deque Dei in ſe beneficio differere ingreſſus eſt, qui ſe in illo ętatis flore ad ſe raperet. Adhoc Cardinali pro ſuo in eum amore, magno ſenſu attendenti, confirmat ſe officij ſui ducere, illum loco patris omnium, qui in terris viuant, optimè de ſe meriti habere, quando

eius

eius opera factum esset, vt post tot conflictus, & impedimenta aliquando ad religionem euaserit. His ad lachrymas commotus Cardinalis: se verò, respondet, potius illi debere. neque ætatis discrimen obstare, quin eum ipse suum rerum sacrarum parẽtem, & magistrum agnosceret. Sub hęc memorabat, quanta animo suo emolumenta, solatiaque cœlestia eius semper verba & exempla dedissent. In digressu professus se prosequentibus ingentem sibi dolorẽ huius adolescentis iacturam allaturam; negauit, se vnquam ab eius colloquio, nisi animo ad inusitatam quandam quietem composito discessisse: sibique videri in sua Gõzagarum gente neminem quenquam fortunatiorem extitisse. Eodem tempore æger iacebat P. Ludouicus Corbinellus Florentinus vir magno natu, cui cum B. Aloysio mutuus amor intercedebat, atque in morbo crebrius inter se salutem mittebant. Is ingrauata iam valetudine, octo diebus priusquam è vita discederet, valetudinarium obsecrat, vt Aloysium, qui iam præ virium imbecillitate, pedibus nequibat insistere, ad se perferat in cubiculum. id verò ille agebat, quòd Aloysium iam colebat pro sãcto. Gratificatur homini valetudinario, Aloysium vestit, atque in Patris cubiculum deportat. Incredibile est memoratu

quantum optimum senem hic illius ad se inuisendum aduentus recrearit, & quam liquidam ex eius aspectu voluptatem, pietatisque motum hauserit. postquam inter se collocuti, inuicem ad moderatè patienda aduersa, Deique voluntati obsequendum hortati sunt, senex: Age, inquit, mi frater Aloysi, prope iam est, vt moriar, neque amplius inter nos reuisuri sumus. Est quod te rogem. quæso ne deneges. Ne prius hinc discedas, quã mihi benè precatus sis. Hac petitione ALOYSIVS partim attonitus, partim rubore suffusus, negauit id conuenire, siquidem benedicere maioris esse. at ipsum grandæuum se adolescentem, ipsum sacerdotem, non item se esse. At senex, qua erat in hunc sanctum adolescentem pietate, insistit denuò precariò exigere, & obtestari, ne sibi in extremo iam vitæ posito, hoc solatij subtrahat. valetudinarium item orare, ne prius illum abducat, quàm sibi obsecundarit. Reluctari tamen sapiens adolescens, neq; prius flecti, quàm à valetudinario impulsus est. tunc enim viam reperit, qua simul & senis mœrorem vitaret, & suam humilitatem tueretur. Sublata siquidem manu seipsum in crucis formam designans: *Deus*, inquit, *D. N. nobis ambobus benedicat.* deinde patrem aqua lustrali aspergit, & interea. *Deus*, inquit, *D. N. te, mi R. P. sua sancta gratia accumu-*

let,

let, votaq; omnia tua ad sui nominis gloriam fortunet. eum tu vicissim pro me precare. Ita ab illo iam acquiescente, & mirificè læto, ad suum se lectum reuehi iubet. Fuit & illud eiusdem sacerdotis aduersus Aloysium pietatis ostentui. Tametsi sacerdotes alio ac cæteri sepulchro mandari soleant, tamen fugiente iam vita, valetudinario denunciauit, in quem locum hic beatus adolescens mortuus inferendus esset, ibidem se omninò sepeliri velle. ergo Superiorum iussu, factum deinde est, vt optârat. Sunt qui memorent vaticinatum esse Aloysium prius illum patrem, quàm se è vita cessurum. id quod euenit. Obijt enim Kalendis Junijs, pridie Pentecostes, media intempestæ noctis hora, vigesimo die ante felicem Beati Aloysij exitum. Fugiebat omninò Aloysium non modo cubiculo, sed etiam toto ambulacro longè semotum hunc patrem illa nocte de vita periclitari, & tamen ter eum illa nocte videre visus est. Id quod ipse valetudinario proxima luce fenestrã apertã, atq;, vt valeret, visũ, de more, venieti, in hunc fere modũ narrauit. Scisciranti. n. quinam præteritã noctẽ trãsmississet: Malè certè, inquit. nam inusitatum in modum molestis, mirisque somnijs aut potius visis cõflictatus sum. Tertium. n. bonũ patrẽ Corbinellũ sum mihi vis⁹ videre vehemẽti dolore æstu-

re æstuantem, ac primùm quidem sic me alloquentem audire. Tempus est mi frater, iam me Deo enixè commendare, eumque adorare, vt hanc acerbitatem grauis & periculosi doloris, quo discrucior, patiéti, fortiéque animo ferre possim, quando, nisi singulari Dei ope confirmer, eum, prout par est, me adhibere posse diffidam. Experrectus, & somnium fuisse ratus: Præstaret, inquam meipsum increpãs, te dormire. Quin has nugas missas facis? Paulò post vix repetito somno, idem iterum se mihi ostendit, vehementius etiam quam prius obtestans, vt ardentibus precibus, in tanta mali grauitate, quę sibi prope intolerabilis videretur, subsidio venirem. Rursum excutior somno: rursum leuitatem meam obiurgo, mecumque statuo copiam postridie petendi, huius in Medici, ac superiorum, qui iusserant, vt quietem capere studerem, efficiendis mandatis, negligentiæ pœna aliqua expiandæ. Ecce autem, postquam denuò condormiui, tertium mihi eadem species obuersatur, meque ita compellat. Iam iam, mi frater, huius miseræ vitæ calcem prope cõtingo. ora Deum, vt hanc migrationem feliciter euenire, proque sua benignitate, alterius me immortali gloria beare velit. Ibi me pro te vicissim precari non fugiet. Ea res vsque eo mihi somnum omnem abrupit,

pit, vt harum imaginum terroribus perculsus, dum eas identidem omni cogitatione pertracto, reliqua nocte nullã quietis partem vllo modo capere potuerim. Valetudinarius his auditis, rem omnem dissimulare, nullũ admirationis signum dare, somnia, & animi ludibria appellare, P. Corbinellum assirmare rectè habere, obitum eius celare, hortari curam omnem poneret, seque redderet quieti. neque ille tunc quidem verbũ vllum præterea fecit. Aliàs verò, occasione data, significauit sibi non modo exploratũ fuisse illum esse defunctum, verum etiam in cœlum deueniisse. siquidem sciscitanti P. Roberto Bellarmino, quid de illius anima sentiret, tenerine igne Purgatorio? confidenter sanè respondit: Absque mora, purgatorium transisse. Quo ex responso ille coniecit, diuinitus id edoctum esse. Nam cum suapte natura in omni sermone immensum quantum consideratus, & in pronunciando de dubijs rebus parcus esset, nũquã, nisi à Deo factus certior, patri suo à confessionibus, tam liquidò confirmasset, purgatoriũ iam transmisisse. Auctores illi omnes eramus hoc tempore, conquisitis ad id, omnis generis rationibus, vt propagari sibi vitam à Deo exoraret, sic enim & meritis iam in cœlo præmijs ingentem cumulũ accessurum, & plus hominibus, atque in-

primis

primis Societati profuturum. At ille omnibus id vnum respondebat: *Melius est dissolui.* Quod ille tanto animi sensu & affectu, tanta oris serenitate dicebat, vt satis appareret, ab illo studio non aliò, quàm ad indissolubilem cum Deo coniunctionem, quàm primùm fruendam ferri. Binas omninò interea dum hac inualetudine tenetur, ad matrem litteras dedit. Priores eius initio, simulatque prima illa procella, qua opprimendus putabatur, defunctus erat, in quibus eam principiò consolatus, atque ad res aduersas quietè patiẽdas hortatus, hæc subiungit.

Mensis est, cum inibi fuit, vt à Deo beneficio longè omnium maximo augerer, hoc est, vt in eius gratia, vt confidebam, positus, de vita exirem. iamque sacro viatico, & extrema Vnctione firmatus eram, quando Deo placitum fuit, tempus mihi proferre, atque interea lenta me febre, quæ reliqua facta est, ad mortem præparare. Medici ignari quẽres exitũ sit habitura, corporis sanitati cõquisitis remedijs student. Me verò iuuat animum inducere, Deum longè mihi integriorem, quàm Medici, dare possint incolumitatem parare. itaque interea loci illa spes me oblectat, fore, vt me DEVS in paucis mensibus, è mortuorum, ad viuentium terram, ex hominum humi degentium, ad Angelorum, cœlitumque Societatem, denique ab aspectu rerum terrestrium & caducarum, ad Dei Optimi Maximi in quo bonum omne continetur,

netur, intuitum, contemplationemqúe peruehat. Eadē cogitatio, tibi Illustrissima Domina, pro tuo in me amore, proqúe eo ac meæ felicitati consultum cupis, ingenti solatio esse poterit. Quæso te, vt pro me vota ipsa facias, atque à sodalibus Doctrinæ Christianæ fieri mādes, vt breui hoc tēpore, quò mihi adhuc huius sæculi pelagus nauigandum est, Deus intercedentibus Vnigeniti filij sui meritis, item Sanctissimæ Matris eius, & DD. Nazarij, & Celsi precibus, delicta omnia mea, sanguine suo sacratissimo, quem inter supplicia pro nobis profudit, velut mari rubro submergere dignetur, quo inimicorum metu liberatus, ad videndum, fruendumqúe Deum, in terram illam diuinitus promissam euadam. Idem ipse Deus te Illustrissima Domina consoletur. Amen.

Alteras aliquantò prolixiores, paulò ante obitum scripsit, cùm iam, vti postea exponam, diem ipsum, quo moriturus, cœlūque aditurus esset, diuinitus compertum haberet. Eius, matri valedicentis, hæc sunt verba.

Illustrissima Domina, Mater in Christo obseruantissima.

Pax Christi.

Spiritus sancti gratiam & consolationem Tibi Illustrissima Domina, perpetuam precor. Versabar equidem, cùm tuæ litteræ afferrentur adhuc, in hac mortuorum regione. Verùm age nunc, ad cœlum aliquando aspirandum est, vt in terra viuentium Deum æternum laudemus. quod quidem iter nuper

nuper sperabam, ante hoc tempus à me confectum iri: sed nimirum febris, vt alijs litteris ad te scripsi, cum ferueret maximè, atq; æstuare videretur, repentè mitigata, ad diem vsque Christo in cælos ascendenti sacrum sensim me perduxit. Ex eo, pectore magna vi destillationum oppresso ita redintegrata est, vt iam pedetentim ad dulces caroſque amplexus patris cœlestis accedam, in cuius gremio, vti spero, secura quiete fruar & sempiterna. Atq; ita diuersi rumores qui de me istuc perlati sunt, vti etiam ad Marchionem scripsi, sanè congruunt. Quod si caritatis est, vt ait Diuus Paulus, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus, ingens omninò te gaudium, Mater Illustrissima ex eo haurire necesse est, quod beneficij gratiæque in te causſa, veram mihi Deus lætitiam, atque à metu eius vnquam amittendi securitatem designat. Equidem (fatebor enim tibi Illustrissima Domina, cum in considerationem diuinæ bonitatis, quæ instar est maris, cui nec fundus sit, nec littus mentem ingurgito, ea mihi illius amplitudine abrepta aberrare, neque satis competere videtur. quippe cũ ille me pro tam breui, & exiguo labore, ad æternã requiem accersat; qui me de cœlo ad summam felicitatem, quam adeò negligenter quæsiui, vocet, fructumq; lachrymarum polliceatur, quas tã parcè profudi. Vide etiam atque etiam Illustrissima Domina, & caue, ne hãc infinitam Dei benignitatem violes. quod profectò faceres, si eum velut mortuum lamentarere, qui in Dei conspectu viuat, lõgeque plus rebus tuis, quàm in hac vita sua commendatione adiumenti afferat. Non erit hæc diuturna seiunctio. in cœlo reuisemus inter nos, simulque

mulqúe cum salutis nostræ vindice copulati, tota animi contentione eum laudantes, eiusq; misericordias in æternum cantantes, immortalibus lætitijs perfruemur. Neque verò ambigo, quin si ijs exclusis quæ consanguinitatis ratio subijcit animo, fidei, & puræ illi simpliciq; Obedientiæ, quam DEO debemus, locum dederimus, vltrò ac prolixè illi, quod suum est, oblaturi simus. idque tanto libentius, quò id quod eripitur nobis est carius. Sic enim certò existimabimus, nihil à Deo nisi sapienter, & è re nostra fieri. Adimit nobis quòd antè commodauerat, non alio consilio, nisi vt immuniore, & tutiore loco reponat, ijs bonis ornet, quæ nobis optaremus ipsi. Hæc omnia eò duntaxat à me dicta sunt, vt morigerarer desiderio, quo teneor, vti tu Illustrissima Domina, cæteraqúe omnis familia, hunc meum discessum, in iucundi beneficij loco habeatis, tuqúe hoc fretum traijcientem, dum littus, in quo spes omnes meæ sitæ sunt, contigero, materna tua benedictione prosequare. Quod iccircò feci libentius, quòd nihil mihi superfuit, quo euidentiæ amorem, ac reuerentiam, quam, vt filius matri debeo, tibi significarem. Denique ita concludo, vt iterum abs te humiliter benedictionem efflagitem.

Roma IV. Idus Iun. Anno D. M.D. XCI.

T.D. Illustris.

Filius in Christo obedientissimus Aloysius Gonzaga.

Caput Nonvm.

DE PRAEPARATIONE AD mortem à B. Aloysio adhibita, deque ipsa morte.

TEmpus iam est exequi, quam Christianum, sanctumq; in modum se B. Aloysius ad postremum illum è terris ad cœlos transitum accinxerit. Dum in hoc morbo, sanè diuturno, atque, vt tales solent, difficili, grauibusque periculis infesto fuit, nullum vnquam abiecti animi vel minimum gestu aut verbo signum dedit. nunquam ostendit obsequium se, aut quicquã aliud, quod se valetudinarij facerent, fastidire. sed quanquam inualetudo promptius, quam aliud vllum tempus, latentes animi motus in apertum proferat, suæ tamen ipse semper patientiæ constitit. Superioribus, Medicis, Valetudinarijs ad verba sẽper obediuit, & quibus moribus hominem religiosum in valetudiue quantumuis molesta esse oporteat, clarum inprimis exemplum dedit. Postquam lecto teneri cœpit, nullis vnquam, nisi de diuinis rebus, & vita beata, sermonibus aures accommodauit. Itaq; nemo eum inuisebat, quin vt ei gratum faceret, alijs omnibus omissis, de pietate loqueretur.

retur. quod si quis oblitus huius instituti, quiddam aliud iaceret, Aloysius mẽte collecta, secum ipse res alias tantisper agebat, donec ad res sacras rediretur. tunc enim seipsum immutans, atque ad colloquium reuersus non recreari se tantum, verùm etiam gestire ostendebat. Huius ipse sui consilij rationem sic reddebat. Etsi nihil ambigeret, quin de rebus indifferentibus pietatis gratia prudenter in commune loqui, nihil esset ab hominis religiosi rationibus alienum, nihilominus eò loci, quo ipse tum quidem esset, par esse, Deumque suo iure ab se postulare iudicabat, vti sermonũ suorum omnium, non modo formale (sic enim loquebatur) propterea quod mens, vti semper debet, in ijs Dei honorem spectet, verũ etiam materiale ipsum, sit sacrum. & omne temporis momentum quod sibi Deus extrema sua vita concederet, tanti æstimabat, vt non nisi in rerum pretiosarum tractationem expẽdi vellet. Poscebat nonnunquã vestem, lectoque egressus pedetentim ad mensam, in qua erat Christi crucifixi imago adrepebat, eamque complexus osculabatur, quod item imagini D. Catharinæ Senensis, & aliorum Diuorũ, quibus cubiculũ cinctum erat, factitabat. Cuidã verò è valetudinarijs dicenti, nõ esse, quod è lecto surgeret. se crucifixi, cæteraque simulachra

ad lectum allaturum. Atqui, inquit Aloysius, hæ sunt meæ stationes. Eum igitur morem tantisper tenuit, dum se lecto potuit mouere. Adhoc interdiu quando clausa cubiculi ianua sine arbitris erat, nullius ope adiutus educebat se furtim è strato, interque illud ac parietem in angulo abijciebat in genua, ac tantisper dedebat se precibus, dum quid pro foribus increpuisset. tũ enim se quasi cubitum rediturus, erigebat. Valetudinarius aliquamdiu ratus, ad requisita naturæ surrexisse, ad extremum cũ sæpius lecto digressum offenderet, suspicatus, id quod erat, postquam aliquando ex insidijs, nitentem genibus oppressit, id præterea audere vetuit. ille vbi se teneri manifestò vidit, erubuit scilicet, vetitoque deinde abstinuit. Adhibebat hoc tempore sibi crebrius ad consilium de animi sui rationibus P. Robertum Bellarminum pœnitentiæ suæ præsidem. Quodam verò vespere ex eo requisiuit, Arbitrareturne quemquam ab igne purgatorio intactum, cœlum contingere. Ille cùm annuisset, non ignarus quantum sibi haberet, de Aloysij virtute polliceri: Quin adeò, inquit, ex ijs vnum te fore confido, qui immunes à Purgatorio cœlum recta petant. Quando enim Deus pro sua in te voluntate, tot animum tuũ muneribus ornamentisq; cœlestibus, quorum me cõ-

scium

scium esse voluisti, exornauit, quorũ illud non infimum est, quòd te ab omni mortifera culpa semper abesse voluit, certò equidem spero, hoc etiam pro cumulo adiecturum, vt nusquam cunctatus ad superos euoles. Hoc responso, tantis incessit lætitijs, vt abducta à sensibus mente ad cœlestis illius ciuitatis beatitatem, obiectam diuinitus intuendam sit euectus. Quo in excessu mentis cum totam prope noctem oblectamentis quibusdam, atque solatijs, quę mortalem modum longe excedant, traduxisset, eam postea eidem Patri asseuerauit, visam esse sibi vix momenti instar habuisse. In eadem ecstasi positus etiam diem suæ morti destinatũ accepisse creditur, siquidẽ, quampluribus deinde liquidò prędixit se octauo à sacro Corpori Domini die, excessurum è vita. idq; euenit. Cuidãverò à quo singulari officio frequentabatur, aliquot ante eas ferias diebus, idem denũciauit. Interea morbus vsque eò ingrauescere, vt P. Vincentius Brunus qui infirmis præerat, vir medicinæ peritus, Aloysio negaret eum diu superesse posse, Eo comperto, socium quendã compellans: *Nescisne*, inquit, *quam felix nuntius venerit, intra octauum diem mihi moriendum esse? Amabo te, mecum vnà, pro tam eximia in me beneficentia, hymno Te Deum laudamus recitando. Deo gratias age*. Eo hymno simul ab vtroque

piè admodum dicto, non ita multò post, alteri suo condiscipulo cubiculum ingredienti, exiliens gaudio: *Pater mi,* inquit, *lætantes imus, lætantes imus.* quibus verbis tam effusa hilaritate pronunciatis, cæteris gemitus exprimebantur, & lachrymæ. Secundum hæc visum est, tribus Patribus, quibuscum præcipua ei gratia intercedebat, per litteras valedicere. ij erant P. Ioannes Baptista Piscator, eius olim tirocinij Magister, tum verò Rector Neapolitanus: P. Mutius de Angelis, ibidem tum Theologiæ professor: & P. Bartholomæus Recalcatus Rector Mediolanensis. His aliena manu indicauit, se, vti sperarat, in cœlum proficisci; multam illis salutem dicere, atque orare, vt se Deo commendarent. At cum præ imbecillitate virium subscribere non posset, iussit sibi manum duci, & pro suo nomine calamo crucem depinxit. Curæ illi fuit octo postremos vitæ suæ dies singularibus quibusdam pietatis ac religionis officijs exigere. Ac principiò cũ sacerdoti familiari suo patefeciset, sui obitus diem se exploratò tenere, eum rogauit, vti quotidiè tertia ante occasum solis hora ad se septem pœnitentiales psalmos recitatum veniret. Igitur per id tempus remotis cæteris, Christi cruci affixi, imagine eius rogatu in lecto collocata, sacerdos iuxtà prouolutus in genua,

quos

quos dixi psalmos pronuntiabat, nonnunquam, vbi ad egregium quempiam locum ventum erat, insistens, cum interea B. adolescens, oculis animoque in Christi effigie defixis tota mente, quæ legebantur volutans, illustribus accensi in Deum studij cœlestiumque permotionum indicijs, ingentes lachrymarum imbres Patri cieret, quæ item ipsi, sed leni, & quieto lapsu erumpebant. Cæteris horis diurnis, aliquod sibi caput è psychagogia, aut è soliloquijs D. Augustini, aut sermonem Diui Bernardi in Cantica, aut Iubilum: Ad perennis vitę fontem, aut psalmum quempiam ab se delectum, vt *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus,* aut alium eiusdem generis legi postulabat. Vbi primum rumor esse cœpit, eum affirmasse intra octo dies diem se obiturum, certatim omnes momentum aliquod captare, sine arbitris confidenter cũ eo communicandi, eiusque commendationem exposcendi. at ille omnium mandata in cœlum perferenda admirabili animi promptitudine accipere, pro omnibus se cum Deo acturum prolixa caritate, securoque animo polliceri, vt illic breui se futurum, certum habere diceres: de sua morte, perinde ac de migratione

ex vno conclaui in aliud solet, differere. Plures ad eum visum, atque etiam ministratum Patres vētitabant. in quibus magis assidui P. Marius Fucciolus Procurator Generalis, & P. Hieronymus Platus, qui altero ab eius excessu mense, & ipse naturæ concessit. Is aliquando in digressu ex eius cubiculo, ad comitem suum conuersus: *Sanctus, mihi crede, sanctus est Aloysius, vsque eò vt viuens etiam in Diuorum numero collocari possit.* Alluserimirum ad dictum Nicolai Quinti Pont. Max. qui, cùm D. Bernardino Senensi cœlestes honores decerneret, de D. Antonino Archiepiscopo Florentino viuo, & præsente, existimare se aiebat, non minus eos mereri Antoninum viuum, quàm Bernardinū mortuum. Postremis illorum octo dierum plerumque totum animum diuinarum rerum contemplationi intendebat, nisi quòd interdum aliquot de rebus sacris verba interloquebatur, aut breuiores preces interuallis funditabat. Extremo triduo æneum Christi crucifixi simulachrum, Indulgentia Pontificia, Philippinarum titulo, sacrū, quod à Patre quodam acceperat, ad extremum vsque Spiritum perpetuò pectori appressum tenuit. Crebrius eo ritu, qui in Ritualibus libris præcipitur, fidem suam professus est, vehementem interea amorem semper præseferens Deo se consociandi.

itaque

itaque illud identidem iterabat. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*. Octauo Corporis Domini festo die illucescente, Valetudinarij adiutor in cubiculum ingressus, neque solito deterius habentem reperiens: Atqui, inquit, Aloysi viuus es, nõ mortuus, vti futurum, tua quidem sententia, prædicabas. Cùm ille perseueraret affirmare, eo se die obiturum, egressus è cubiculo valetudinario renunciat, Aloysium, cui iã melius quã ceteris diebus factum esse videatur, in ea opinione constare suæ vitæ postremum hũc diem futurum. Sacerdoti item cuidam se visitanti, ac dicenti, iam octauum diem agi, quo ipse in viuis se desiturum esse iactasset: iamque ad spem longioris vitæ excitari posse: *nec dum*, inquit, *hodiernus dies totus præterijt*: Magis etiam disertè idem alij confirmauit, qui ad illum adiens, cùm ex plaga, quam tum è misera macie, tum quòd iam diu in id latus continuò cubuisset, in dextro femore acceperat, grauiter laborantem offendisset, misericordia permotus: Molestum sibi quidem accidere dixerat, quod eo nobis carendum esset, optare tamen, vt his eum Deus doloribus aliquando liberaret. cui ille perquam seriò: *Hac nocte*, inquit, *moriar*. illo occurrente, non videri eo loci esse, vt tam propè absit à morte, Aloysius bis eadem iterat: *Hac nocte moriar: Hac nocte moriar:*

moriar. Totum' antemeridianum tempus multiplici profitendæ fidei, precandi, Deique multa cum pietate adorandi officio traduxit. Circa meridiem sacrum viaticum quod à prima luce eius diei sæpè popoſcerat, efflagitare enixius. at valetudinarij minimè moriturum suspicati, aures non dare, sed cum nullum sollicitandi, rogandique finem faceret, causari postquam semel in hoc morbo, eo sit impertitus, non videri sibi fas esse repeti. Tum Aloysius: De oleo quidem sancto, inquit, est, vt dicitis, non item de viatico. Nihilominus valetudinarij tum quidem rem negligere. Dum eo loci valetudo eius sita est, Gregorius XIV. Pót. Max. de longinquo eius morbo, à Cardinalibus, vt opinor, ipsius cognatis edoctus, cùm percunctatus vt valeret, accepisset, iam in cœlum cogitare, suapte sponte suam ei benedictionem, vnà cum indulgentia, vt vocant, plenaria transmisit. Id cum ei P. Collegij Minister nunciasset, vt erat humilitatis amantissimus, quantum ex illis sacris muneribus gaudij, tantum ex eo quòd sui Pontificem meminisse audiebat, verecundiæ percepit, continuoque vultum manibus contexit. Minister vt hanc verecundiam adimeret, negat mirum id videri oportere, si quidem Pontificem fortè quiddam de afflicta eius valetudine inaudisse. Altera ante

ra ante ſolis occasũ hora, ſacerdotẽ ſui olim tyrocynij ſociũ, qui ad ipſum viſendum è domo, quæ eſt ad D. Andreæ, aduenerat, orat, vt Patrem Rectorem Collegij ad præbendum ſibi ſalutare viaticum, flectat. Paruit ille, & vnà Litaniam de ſanctiſſima Eucharistia pronunciarunt, Aloyſio clara voce ſacerdotem ſequente, cui ad extremum vultu, præter conſuetudinem hilari, & ore ad riſum compoſito gratias egit. Venit deinde P. Rector ſacrum viaticum afferens, quo ille & mirificè lætatus eſt, & in eo percipiendo animi ad pietatem, Deiq́ue amorẽ inflammati, atque in ſpem arrecti eius quẽ nunc tectum acciperet, coràm in cœlo fruendi præclara argumenta dedit. Hæc cum maximè agentem ſpectarent, & illas voces audirent: Accipe frater viaticum, & quæ ſequũtur, omnib⁹, qui in cubiculo erãt, vbertim cecidêre lachrimę. Sumpto viatico placuit beato adoleſcentì, quemadmodum in Societate aduenientibus, aut proficiſcentibus in longinquas oras fieri ſolet, omnes qui aderant inſigni amore, & alacritate cõplecti. Ibi cum eũ pro ſe quiſq; poſtremùm ſalutaret, nemo erat, qui lachrymas teneret, nemo, qui ab eius amplexu diuelli poſſet, omnes in eũ inhiantes identidẽ oculos magno amore, & dolore referre, eiuſque preces ambire. In his erat, cui cum Aloyſio neceſ-

necessitudo semper fuerat, mutuis caritatis, & amoris officijs constituta. is seorsim eum adiens: se, ait, confidere breui eum beato Dei conspectu fruiturum. orare proinde, vti compertum haberet, suam illi salutem, dum viueret, curæ semper fuisse, ita neque sui illic memoriam deponeret. sibi, item si quid in eum officiorum negligentia offendisset, veniam daret. Respondit flagranti sanè affectu Aloysius se infinitæ Dei benignitatis, & clementiæ, pretiosi item sanguinis Iesu Christi, & commendationis Beatissimæ Virginis matris fiducia, sperare ita paulò post fore. Ne dubitaret. spondere, sibi pro eo agere, cordi futurum. etenim si in terris eum amauisset, longè etiam vehemétius in cœlo, vbi plenior sit charitas, amaturum. Atque hæc omnia tam integris sensibus & sermone tam expedito, tamque ad rem accommodato dicebat, nemini vt verisimile videretur, tam citò abscessurum è vita. Eadem hora Præpositus prouincialis ingressus cubiculum, Aloysium compellat, cui ille: imus Pater. inquit. & quò? sciscitatur Pater. Ad cœlum respondet. tum Pater. Itane ad cœlum? Nisi quid obstent peccata mea, subijcit Aloysius, spem mihi eo perueniendi Dei benignitas ostendit. Conuersus Præpositus ad nonnullos astantiũ, submissa voce: Audite, sultis, inquit, hic de profectio-

fectione in cœlum loquitur. at nos, scilicet, in Tusculanum eum destinabimus. exquirenti deinde, num communi sepulturæ cõmendandum censerent, responsum est eius sanctitatem videri postulare, vt eximius ei honos haberetur. Sub extremam ante solis occasum horam obsequij caussa ei aderam, subiectaque capiti manu pauxillum Christi crucifixi sigillum, ante quod, sub vltimũ spiritum precanti Indulgentia plenaria cõcedebatur, intentis oculis contemplantem subleuabam, cùm ille elata manu linteum capiti tegmen deripit. ego ratus eum motũ moribundi hominis esse, tacitus repono. paulo post cùm ille denuò detraxisset, egoque restituerem: Sine, inquam, Aloysi, mi frater, ne hęc vespertina aura capiti tuo noceat. tum ille oculis Christi crucifixi imaginem mihi denotans: *Christus*, inquit, *moriës capite operto non fuit*. quibus verbis animum mihi pietate, & salutari dolore confixit. Vesperi, quo tempore salutandæ Deiparæ signum datur, cum ipso coram, sermo esset exort⁹, cuinam noctu cum eo vigilandum esset, tãetsi commentando astrictam mentem haberet, iterum tamen Patrem quendam, qui iuxtà ipsum erat, vt sibi adesset, rogauit. alteri item, quem eius excessum spectare cupientem, se in tempore admoniturum receperat, quasi vt promissis maneret, Vide inquit,

inquit, maneas. Prima noctis hora conferto hominibus cubiculo, Rector, nusquam lingua hæsitare cernens, etsi ipse se moriturũ ea nocte prædixisset, fidem non adhibebat, quin etiam vt hoc genere febris laborantibus euenire solet, aliquot dies superfuturũ ratus, iussit, se digresso, omnes excedere, & somnum petere. neque à quoquam exorari se passus est, vt remanendi potestatem permitteret, quod negaret moriturum: sin. se ipsum nusquam ab eo discessurum fuisse. soli itaque P. Ministro, vnà cum socio item sacerdote negotium datum, vt eius curæ assisteret. Nemo non intelligit quanto sensu amoris, & dolore à sodali nobis tam caro, quem certa res erat, nunquam præterea viuum à nobis visum iri, abiuncti simus. at ipse, quem noster mœror minimè præteriret, nostri solandi caussa, polliceri nostri in cœlis memorem futurum. Orare vt in postremo hoc discrimine sibi precibus essemus auxilio. compluribus, quæ post suam mortem ab ijs fieri vellet, iniungere. Ita Rectoris auctoritate compulsi, lachrymantes omnes alius post alium ab eo discessimus. Postquam solus cum duobus illis Patribus relictus est, mente semper in Deum erecta, per interualla petitas è sacris litteris voces eijciebat, vt illam: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, & similes. Cõstitit

stitit aliquamdiu idem in vultu color, quo tempore qui aderant, modò preces pro eius salute concipere, modo sacrata aqua eum lustrare, modo Christi cruci affixi imaginem osculandam præbere, non sine appositis ad pietatem monitis. Vbi ad postremum mortis conflictum ventum est, è liuore faciei, & sudore guttatim erumpente cognorunt, graui dolore confici. at ipse intermortuis vocibus flagitare, vt se aliter collocarent. iam enim ipsum triduum eodem membrorum situ iacuerat. At illi veriti ne mortem ei accelerarent, simulque rati hoc ab eo naturæ potius impetu, quam cogitatò peti, quòd tangere eum recusarent, cohortati sunt, veniret in mentem illius duri, & angusti strati, in quo inter tot molestias, & supplicia Christus D. N. vitam posuisset. Quo præcepto admonitus, coniectis in Crucifixi signum oculis, cum verbis non posset gestu significare, Dei amore plura etiam perferre paratum esse, visusque est sibi ipsi imperare, vt eum dolorem quietè ferret. neque verò quicquam deinde mouit. Patres, cùm iam eum neque loqui, neque se commouere posse cernerent, sacratum cereum quo ad ipsum prius salutaris crucis notam expressérant, in manus dant; quem ille suo perseuerandi in sancta fide studio testificando apprehen-

prehensum strinxit, eumque tenens paulò post visus sanctissimum Iesu nomen effari, atque ad extremum labia modicè mouens, inter alteram,& tertiam noctis horam, admirabili tranquillitate animum suo procreatori reddidit. estque id adeptus quod in gratiæ loco tantoperè optarat, vt vel intra octo sanctissimæ Eucharistiæ, cuius honori semper ante alios deuotus fuerat, dicatos dies, vel memoris, pijq; aduersus Christi Domini pœnas animi declarandi causla, feria sexta moreretur. itaque cum octauus eorum qui sacræ Eucharistiæ solemnibus sunt celebres, dies esset in exitu, iamque feria sexta ineunte, nocte quæ inter 12. & 11. Kalend. Quinctiles intercedit, cum vixisset annos tres & viginti, menses tres, dies vndecim, felicem illam vitam cum hac mortali commutauit. Quot annos, atque etiam menses olim, cùm moreretur, egerat D. Ludouicus Caroli II. Francorum regis filius, è Diui Francisci familia, ac deinde Tholosatium Antistes, cui hic noster B. Aloysius haud modicis virtutibus affinis fuit.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

DE EXEQVIIS, SEPVLTVRA, & ijs quæ corpori B. Aloysij acciderunt.

MAgnum enimuerò sibi beneficium duo illi sacerdotes, qui morienti præstò fuerant à Deo accepisse visi sunt, quod è tanto numero idem ardentibus votis expetentium, ipsi potissimum delecti essent, qui tanta sanctitate adolescentem spectarent in cœlos feliciter demigrantem, quod erat eò iucundius, quòd antequam excederet, se eos, dum viuerent, Deo commendaturum promiserat. P. Ministro quies quædam animi, & cęlestis iucunditas hęsit. Socium insolitus pietatis ardor, & salubris mœror, Deiąue secundum B. Aloysij consilia colendi studium inuasit. Quem animum multis lachrymis abundantem, si non perinde atque dum recens esset, vigentem, ac, prout res tulit, vehementer aut mediocriter incensum plures non modo mẽses, verum etiam annos seruauit. Sed quoniam cùm eum pietas ad decerpendum aliquid de sacris huius beati adolescentis reliquijs stimularet, reuerentia vetabat, ne quid de ipso corpore stringeret, calceamẽ-

torũ corrigias, calamos quibus scribere erat solitus, aliaq; eiusdem generis sibi poposcit, atq;, dum hæc litteris mandamus, etiam cõseruat. Valetudinarij cũ ad lauandũ, curandumq; corpus accessissent, elatis corã ijsdem sacerdotibus linteis lecticarijs, æneũ illud Christi simulachrum reperiunt, q, vt supra dictũ est, tres cõtinenter dies pectori admotum tenuerat. Internudãdum corpus comperiunt ingentem callum, quẽ consuetudo genibus inter preces nitendi à puero puero perpetuò culta, ijs obduxerat, è quib' nõnulli quiddã, pij monumenti causſa, abscissum, hodieq; penes se habẽt. Vnus è valetudinarijs impulsu quorundam eius honori studentium, frustum carnis resecare aggressus, mox cœpti pœnitens, modicum pellis abstulit, qua suo hortatu admota, ægrum conualuisse memorat. Vix animam efflarat, cum alter Patrum qui adfuerant, nonnullos qui viuenti interiores fuerant, certos facit, nostrum Angelũ in cœlos euolasse. At illi studio pietatis incẽsi corripere se è cubili, & partim, q, fortunatis cælitum oris iam receptum crederent, ipsum vocare in vota, partim pro eo preces persoluere quas pro amicitia ante obitũ exegerat. Postera luce 11. Kalẽd. Quinct. vix dato surgẽdi signo, cubiculũ, in quo situm erat sacrũ corpus completur, & submissis oẽs genibus,

vel

vel pro eius animi incolumitate, Deũ, vel, quorum longè maxima pars erat, ipsum pro sua venerantur. Adhoc certatim amore pietatis, eius calceamenta, indusium, subucula, aliæq; vestes direptæ: vngues, capilli, ac nõnihil etiam de ipsa carne præcisum. Dehinc corpus in sacellum cõmune collegij delatũ, horis omnibus antemeridianis à quamplurimis frequentatum est, præcipuè ab adolescentibus notis, qui antea non modo contactum, sed etiam aspectum cadauerum exhorrescere soliti, adibant ad feretrũ, & sacras reliquias, sanctum, sanctum ipsum ingeminantes, amplexari, & dissuauiari certabant. Eodem matutino tempore sacrificia omnia cùm in Collegio, tum in cęteris Societatis, in vrbe, domicilijs pro eius animi felicitate facta sũt, etsi id à plerisq; moris potius societatis retinendi causſa fiebat, quã q; opus esse iudicarẽt. Difficile est ijs qui rem oculis non vsurparunt, subijcere animis, quantũ eius excessus omniũ qui in eo Collegio degebãt, animos permouerit. siquidẽ præter eius virtutem, & sanctitatem nemini quicquam loqui libebat, cum alius aliud quod obseruarat præclarum specimen exponeret. sed longè etiam frequentior in desiderio erat, quam in sermone, vnoquoque cum animo suo reputante, quàm illustri gemma orbati essent, quã sanctæ societa-

tatis iacturam eo die feciſſent. Sub horam pœnultimam ante ſolis occubitum, qua preces ei funebres erant indictæ, ſacrum corpus è ſacello in amplam exedram, quò Patres omnes ſocijque cæteri conuenerant delatum. Ibi omnes ad vnum, etiam ſacerdotes ex ordine priuſquam efferretur, manum ei oſculantur. Quod venerationis genus ſolis ſacerdotibus impertiri ſolitum, huius, qui minoribus duntaxat ordinibus initiatus erat, vitæ ſanctimoniæ tributum eſt. Præſtito hoc officio funus longo ordine, in ſacram ædem Collegij, cui Annũciatę cognomentum eſt, procedit, atque ibi exequiales preces de more celebrantur. Secundum quas tantus fuit iuuentutis, quæ litteris inibi deſeruit, cæterique populi ad obſidẽdum feretrum, ſacras reliquias venerandi, decerpendique cauſſa, concurſus, vt cum eis iam Patres obſiſtere nequirent, opus fuerit, templi fores obſerare. Interea loci, capilli, vngues, intima, extimaque tunica acciſa; extremi digiti & duo articuli, auricularis digiti dextræ manus præfecti ſunt. Affuere homines Illuſtriſſimi Franciſcus Dietrichſteinius, qui hodie S. R. E. Cardinalis eſt, Benedictus, & Philippus Caietani, Iulius Vrſinus, Maximilianus Perneſtainius dynaſta Bohemus, qui poſtea cũm eſſet ex interioribus Clementis VIII. Pont. Max. cubicu-

bicularijs vita defunctus est. Cum inibi esset, vt sepulchro mandaretur, cum alijs magnæ auctoritatis Patribus, tũ præcipuè Roberto Bellarmino visum est, non ex consuetudine, sed in loculo aliquo proprio cóponendum esse. quippe cùm per eximiam sanctitatem vitã transisset, nihil ambigi, qui Deus tanto eius gloriam per orbem olim clariorem effecturus esset, quanto ipse impensius dum vixit, homines latere studuerit. Sed quoniam eo loci hominum de Societate corpora non loculis includere, sed absque apparatu in sepulchro condere mos est, Rector Ministrum ad Professorum domum allegat, qui P. Laurentiũ Magium id temporis in Italiæ procuratione Generali Præposito Assistentem consulat. Is re cum ipso Generali Præposito communicata, loculo tegi iubet. Generalem siquidem idcircò libenter hunc adolescentem legibus soluere, quod nemini non cognitissima sit eius sanctitas. vt vel hinc liqueat eum, qui velut vnus cœlestium inusitato sepulturæ honore sit affectus, iam tum præstanti quadam cœlestis virtutis laude floruisse. Igitur parato loculo impositus, in sacello eius templi Christo cruci affixo sacro, quod maxima ianua ingredienti ad læuam est, in alterum conditorium illatus est, quod viã publicam spectat, eamque partem, quà Euã-

gelium legi solet. Per multos deinceps dies in communibus circulis sola huius sancti socij virtus in omniũ ore versata est. & orbati iam viuo, qui in eo collegio viuebant, cœpere mortuũ venerari. Itaque dies nulla abibat, quin aliqui monumentum eius adirent, eumq; longioribus etiã precibus salutarent, in quo more non pauci complures menses, atq; adeo etiã annos, dum Romæ ętatem egere, perseuerarunt. In his fuit P. Ioannes Antonius Valerinus, qui etsi viuũ nũquam nosset, cùm paulò post eius mortem aduectus è Sicilia, quæ de eius vita conscripseram, perlegisset, tanto in eum studio exarsit, vt parũ esset vt tũmulũ eius celebraret quotidie, nisi & varij generis flosculis, quos ipse in horto legerat, aspergeret, dicés hunc demum flores mereri, qui tam exquisitarum virtutum ornatu floruisset. Mansit in eo loculo B. Aloysij corpus septem omnino annos, scilicet ad annum Domini M.D.XCVIII. quando ne procedenti tempore aliorum corporibus misceretur, P. Claudij Aquauiuæ Præpositi Generalis iussu eius ossa ad 10. Kalẽd. Quinct. anni M.D. XCVIII. è pristino in alium minorem loculũ translata, atq; in eiusdẽ conditorij muro, qui plateæ obicitur sublimè defixa sunt. Ibi permissu Præpositi prouincialis, qui ipse rei gerendæ affuit, reliquiarum partes

deprom-

deprompte, in multas Italiæ vrbes dispersæ, atque in Poloniam, & Indias delatæ sũt. Quin & ipse Prouincialis ex ijs sibi nonnihil sumpsit, & alijs tribuit. Neq; præteribo confirmasse eundem Prouincialem, eius ossa inter se coniuncta, atque modesto illo habitu, submisso capite, reperta, quo ferè, dum viueret, esse consueuerat, quę res, aspicientes notabili pietatis motu contigit. At verò annis posterioribus, vbi Deus, intercedentibus eius precibus, miraculis editis, ipsius sanctitatem in hominum luce collocare cœpit, idem P. Generalis decreuit, vt sancta eius ossa, è priori sepulturæ loco in alium decentiorẽ, separatim à cæteris reponerẽtur. Igitur 6. Idus Iun. anno. M. DCII. in sacrum vestiarium clandestinò delata, & Kalendis proximis Quinctilibus septa loculo plumbeo, qui alteri ligno erat inditus, sub gradu aræ D. Sebastiani, quę est in eadẽ æde, collocata sunt. Tametsi verò curæ fuerit, vt hæc, præter eos qui operã suam nauabant, clanculum omnes agerentur, non tamen idcirco populi pietati solertia inuestigandi defuit, qua tandem vbi sacer ille thesaurus nuper locatus esset, reperiret. Ad extremum increbrescente iam omnibus terrarum regionibus eius sanctimoniæ fama, frequentatisque, ipso Deum exorante miraculis, Francisci Gonzagæ Marchio-

nis Castilionensis, Oratoris Cæsarei, Principis excellentissimi, cui locus ille angustior videbatur rogatu, Prępositus Generalis loculum iterum eximi mandat, eoque, superiorum voluntate aperto, Marchio sibi, & Duci Mantuæ, paulum quiddam de reliquijs legit. Caput iussu Præpositi Generalis in Basilicam nominis Iesu, reliquum corpus 3. Idus Maij anno M. DCV. crebris luminibus, symphoniacisque prosequentibus, ad eiusdem, in qua ante situm fuerat ædis sacellum Virgini Matri sacrum, sacerdotum manibus deportatum, parieti, quem mos est legenti euangelium spectare, insertum est. Allaboratum quidem est, vt quam secretò, ea translatio fieret. at simul Orator, cum coniuge, item Dux Polius, alijque viri principes Aedē sunt ingressi, tāti facti sunt concursus multitudinis, vt se iam confercire inciperet. fuitque bene diu pluribus Patribus negotium, sacras reliquias priusquam in destinato loco conderentur, osculandas, venerandas, precatorijs coronis contingendas flagitantibus præbere. Ibi hodieque sancta illa ossa requiescunt, & ipsius Beati adolescētis effigie desuper, circùverò quamplurimis votiuis, tabellis pendētibus, lucente continuò lampade, & frequentis populi honoribus decorantur. Interea precamur fortunatum eius animum,

vt ni

vt in cęlo nobis, qui sacri corporis ipsius exuuias in terris honore prosequimur, Deũ propitiet, gratiamq; eius abundè conciliet, vt extet olim meritorum nostrorum copia, pro quibus, propositis à Deo verbo, postquam humanam naturam induit, præmijs digni simus: cui, simulque Patri, & Spiritui sancto honor & gloria sæculis innumerabilibus tribuatur. Amen.

DE VITA BEATI ALOYSII GONZAGAE LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

DE LITTERIS POST IPSIVS mortem à compluribus scriptis.

POstquam ad meliorem vitam migrauit B. Aloysius, multæ ad eius matrem Illustrissimam feminam litteræ datæ sunt, quæ declararent, quantam suæ sanctitatis opinionem in hominũ animis moriens reliquisset. Ante alios P. Claudius Aquauiua Præpositus Generalis confirmat, eam deinceps caro & fideli patrono in cœlis vsuram, vbi fides certa sit, felicem illum, & diuinitus fortunatum animum iam tum æterna felicitate perfrui, neque vnquam vel ipsi, vel religionis suæ socijs opem, & solatium afferre desiturum. P. Rector Collegij Romani certiorem eam facit, Aloysium ad beatiorem vitam non modo animo sed etiam ore totoque corpore tam quieto, atque composito euasisse, vt omnibus eius mortis, quę vitæ sanctissimè actæ, omnique virtutum genere cumulatæ responderit, æmulandæ cœleste studium iniecerit. Ac proinde non

tam

tam ipsi, cæterisque de eadem familia de eius iactura dolendum esse, quam lætandum, quòd vnum sui sanguinis Diuorum numero transcripserint. Idem testimonium viri Illustrissimi suis epistolis tribuerunt. Atque in primis Hieronymus Roboreus Cardinalis Illustrissimus ad eandem Principem feminam ita scribit. *Proxima superiore feria quinta, vesperi euectus est ad fortunatiorem vitam noster bonus pater Aloysius, tantumque alijs sui desiderium, suæque egregiæ sanctimoniæ opinionem reliquit, vt Patres illi eius socij certò confisi in cœlum emicuisse, haud minus eius mortem admiratione, quam lachrymis sint prosecuti. Id adeò tibi solatio esse spem, quæ afferre debet, acturum eum cum Deo de fratrum suorum concordia & incolumitate, prosperaque suorum fortuna. Iterum quæso mœrorem deponas, quando iam in cœlesti aula filius tuus est, qui, vt spero, sua nos commendatione tuebitur.* Eiusdem argumenti fuére litteræ Illustrissimi Cardinalis Scipionis Gonzagę, quas ad Mantuanum Episcopum fratrem suum, atque ad Aloysij matrem dedit. In his nuntiat Aloysium iã beatius viuere cœpisse, eiusque exitum tam salubris exempli fuisse, vt gaudijs potius, quam lachrymis sit decorandus. Adhæc quanta huius ipsius Cardinalis fuerit de Aloysij sanctitate opinio, Clemens Octauus Pont. Max. luculẽtum testimonium dedit. Is enim nonis Sextil. anno M. D C. IV.

vltrò

vltrò cum Marchione Castilionensi, Oratore Cæsareo, in sermonem de eius laudibus ingressus, testatus est, Scipionem Gonzagam sæpenumerò secum de huius adolescentis eximia sanctitate verba fecisse, simulque fassum esse vel aspectu eius animũ sibi salutari dolore suffigi, & propter cœlestem quandam innocentiam, quam in eo cerneret, tanto pietatis motu affici, vt lachrymis temperare non posset. Quin & ipse Pontifex vbi hæc memorarat, aliaq; insuper de eius sanctimonia vitæ, & miraculis acceperat, quasi lachrymans, vehementi sẽsu hæc locutus est. *Beatum illum, quem nunc equidem credo, immortali apud superos gloria frui. sæpe mihi quidem venit in mentem mirari, quinã è tantis periculis exire potuisses. at hic certe est, qui te seruauit, & familiæ suæ pacem attulit. Habes in cœlo in cuius fida tutela sis, quique omnẽ ab te noxam propulsabit.* Neque verò aliud fuit clarissimæ & sanctissimæ feminæ Eleonoræ Austrię Archiducis, Mantuæ ducis iudicium, vt apparet ex eius epistola, quam hoc tempore ad Aloysij matrem dedit, quæ in hunc modum in eius vita typis excusa legitur. *Cum mecum ipsa reputo, quàm acerbum tibi dolorem, Illustrissima Domina, iacturam quam in filio tuo Patre Aloysio fecisti, inussisse oporteat, eumque ex meo metior, quæ etsi mater eius non fui, materno tamẽ eum amore semper sum complexa, facere non possum quin tui miserear, neque verò*

tui

tui solum, sed vniuersæ etiam nostræ domus, cui, si quidem humanæ conditionis rationem habeamus, nostrapte vi, sine diuina ope non possumus efficere, vt ne ingemiscamus. At si saniori mente cogitemus, fortunatum illum animum cœco hoc corporis velo consciſſo, in æternum splendorem subuectum, ad plenum illum gloriæ exitum, ad quem, dum adhuc in hac referta miserijs valle decurreret, pleno gradu properabat, peruenisse, vbi è propinquiori, facilior ei ad preces nostras benigno suo domino commendandas aditus est futurus, laudes scilicet, grateſqúe Deo agemus, quod ereptum è terrestri cœno, cœlesti Hierosolymitana ciuitate donarit: nostri verò commodi causſa, leniemus mœrorem nostrum, quandoquidem ex homine mortali cœlestem angelum factum videmus. &c.

Ad hanc epistolam auctor illius vitæ hæc adiungit. *Fuit, qui suprà nominatus est, Aloysius Gonzaga, Ferdinandi Marchionis Castilionensis filius natu maximus, qui à primis cunabulis Angelicum in terris æmulatus est viuendi genus. Marchionis titulo ac ditione fratri suo minori conceſſa, atque in Societatem Iesu assciptus, cũm annũ ageret circiter quartum & vigesimum, viuendi finem impleuit. Cadit in illum, quod scripsit sapiẽs,* Consummatus in breui expleuit tempora multa. placita enim erat Deo anima illius. propter hoc properauit illum educere de medio iniquitatum: *Huius adolescentis cognita morte, Eleonora, tum alia multa in eius laudem dixit, tum illud crebrius vsurpauit: Erat adolescens sanctus, & sanctus obijt.* Sunt qui prætera a refe-

referant, hoc amplius addidisse, hunc fore primũ è Gonz garũ stirpe, qui in Diuorũ numerum referretur. Claudent hoc caput litteræ Thomę Mancini, V. Cl. qui quoniã præsens affuit, cùm Aloysio iusta funebria persoluerentur, de nonnullis, quæ in ijs euenerunt singillatim testificatur. sic enim ait.

Illustrissima, & Excellentissima Domina. Etiãnum hæreo miserérne dolorem tuum, an tibi gratuler felicem, fortunati Patris Aloysij, ad melius vitæ genus abitum. Neq; enim satis dispicio, plusne ponderis apud maternum animum sit habiturum tuum ipsius dispendium, an præstantissimum & uberrimum filij tui lucrum. Equidem doleo, quòd tam eminentis hominis aspectu orbati sumus, quòdque tibi Excellentissima Domina, in luctu versandum est, quo haud scio an alius grauior esse possit, quando in hac suprema valetudine, nullum eius vel semel extremùm videndi momentum fuit. At ipsi sanè gratulor, quòd præstantibus, dum viueret, sanctitatis officijs, cœlum sit meritus, quòd eum non tam iuisse, quam volasse, constat inter omnes, adeò præclarum de consummata sua virtute, Romæ, vniuersoq́ue orbi sensum reliquit. ita ne viginti trium annorum adolescens id assecutus est, quo, ne si ei quidem Noe ætas contigisset, sperare licuisset amplius. Feria quinta vesperi altera noctis hora animum Deo reddidit, heri verò post meridiem in æde Collegij Societatis Iesu, cui ab Annunciata nomen, funeratus est, cui officio & ipsa

pse interfui. Neque hoc præteribo, non modo apud illius Societatis Patres, eius reliquias magno in honore esse, verùm etiam populum ipsum, qui affuit, vestem eius, venerationis caussa conscidisse, neque vanus essem, si plus etiam adderem, de quo spero te ab alijs, ac fortè ab ipsis Patribus, qui rem melius exploratam habent, certiorem factum iri. Nullum quidem eius miraculum proditur, siue quòd nullum extet, siue quod etiamnum cœletur, cæteroqui publicè, perinde ac hominis sancti qui miraculis claruerit, celebris est eius veneratio. Atque hodie, qui est sabbatum, circiter horam alteram & vigesimam, mihi nunciatur, complures viros illustres, quippiam, quod in vsu habuerit, exposcere. Hæ sunt adeò caussæ, quæ incertum me faciunt, sitne de eius tali exitu dolendum. Est non nemo, qui iam vitam eius litteris prodere ingressus sit, & Cardinali, simul absoluta fuerit, eius exemplum promissum est. is vt nunciato eius excessu graui mœrore percussus est, ita illum, tanto eius audito honore, leuauit. Idem Cardinalis, quanquam gemina de caussa, vehementer quippiam rerum huius fortunati Patris appetit. Illud etiam tibi narrare succurrit, quòd Aloysius proxima superiore hebdomade, cùm ipsum viseremus, suam mortem magna hilaritate prænuntiarit, mihique binas litteras dederit, quas octauo abhinc die istuc destinaui, rogans darem operam vti certò perferrentur. has siquidem fore postremas, quas tibi Excellentissima Domina, fratriqúe suo Marchioni scribe-

scriberet. Porrò hoc quicquid est sermonis, alloquendi & consolandi tui amore, his litteris mandaui, quo sanè solatio tantisper te sustenta, dum, vt opto, alius quispiam vberius de omnibus adte perscribat. Interea tristitiæ, quæso, modum fige, huicq; beato Patri, cuius nullæ preces irritæ erunt, pacem, & quietem excellentissimæ familiæ tuæ commenda. Romæ X. Kalend. Quintil. Anno M.D.XCI. Atque ex his litteris, quas adhuc attulimus, procliuè est existimare, quanto iá, cùm abiret è vita, sanctimoniæ nomine floruerit.

CAPVT SECVNDVM.

LVCVLENTVM TESTIMONIum, quod B. Aloysio, Robertus Bellarminus Cardinalis amplissimus dedit.

HOrum grauium hominum litteris, quæ peruulgatæ de eius excellentiori virtute famæ fidem faciunt, annectam nunc Roberti Bellarmini Cardinalis amplissimi de interioribus eius virtutibus, toties in hac historia laudatum à me testimonium. Ille enim qui diu in Collegio Romano huius Beati adolescentis conscientiam gubernasset, compertumque haberet, quàtis mens eius dotibus fuisset ditata diuinitus, meo rogatu, sua ipse manu, quæcumque de eo

de eo rẽminiſci potuit, in hoc ſcriptum cõtulit, mihiq́ue è domicilio, quod habebat in Palatio Vaticano, ad Romanam profeſſorum domum tranſmiſit. Ac licet vel ſimplex cuiuſuis Cardinalis teſtificatio, quæ eſt eius dignitatis celſitudo, per ſe ſatis momenti, & fidei, vti Panormitanus, alijq́ue Iuriſconſulti confirmant, in Romano foro habet; & verò mihi præter chirographum viri toto orbe doctrinæ præſtantia, atque integritate vitæ clariſſimi, nihil requirendum videbatur: veri tamen corroborandi, omniſq́ue omnibus ſcrupuli euellendi cauſa, perfeci, vt ipſe ille Cardinalis Illuſtriſſimus, coram Notario Cameræ Apoſtolicæ illud profiteretur, & iuramento firmaret. Eſt autem ad verbum eiuſmodi.

Admodum Reuerende Pater. Libenter equidem in eo omni, quod à me poposciſti tibi obſequar, ratus diuinæ gloriæ intereſſe, non ignorari quænã ille dona ſuis famulis largiatur. Diu accepi confeſsiones dulciſsimi, & ſanctiſsimi fratris noſtri Aloysij Gonzagæ, vnam etiam, qua vniuerſam ſuam vitam complectebatur, & ipſe mihi ſacris operanti miniſtrabat, ac mecum verſari, deq́ue rebus diuinis colloqui gaudebat. Ex illis eius confeſsionibus, & conſuetudine videor mihi hæc, quæ ſequũtur, veriſsimè aſſeuerare poſſe. Primum, nullum vnquam lethale peccatum admiſiſſe. quod quidem de tota ætate ab anno ſeptimo, certum habeo; de primis ſeptem annis (quibus eam, quam poſtea;

Dei notitiam neque habuit, neque viuendo secutus est) coniectura id facilè assequor. neque enim verisimile est aut tantilla ætate puerum, aut tantæ puritati designatum, lethali se labe maculasse. Secundum, eum ab anno ætatis septimo, quo, vt ipse mihi aiebat, à mundo ad Deum sese conuerterat, vitam perfectam egisse. Tertium, nullum vnquam ad libidinem stimulum sensisse. Quartum, in oratione & contemplatione (in qua plerumq; genibus nixus, nusquam incumbens, versabatur) nullam ferè distractionem mentis esse passum. Quintum, obedientiæ, humilitatis, mortificationis, abstinentiæ, prudentiæ, pietatis, puritatis speculum fuisse. Vltimis suæ vitæ diebus, ex obiecta sibi specie æternæ beatorum gloriæ, adeò immensa voluptate perfusus est, vt cùm totam propè noctem in ea versatus esset, quartam horæ partem tenuisse non putaret. Eodem tempore defuncto Patre Ludouico Corbinello, cum ex eo quæsissem quid de eius anima sentiret, sanè perquam confidenter his verbis respondit. Purgatorium, nihil ibi moratus, transyit. Ego, cui notum esset eius ingenium admodum consideratum in loquendo, rebusq; ambiguis affirmãdis, certò mihi persuasi diuinitus cognouisse. abstinui tamen vlterius progredi, ne vanæ gloriationis occasionem darem. Alia multa, quæ possem dicere, præterea, quòd me satis singulorum meminisse posse diffido. Ad summam, equidem sentio rectà ad beatorum gloriam abijsse, semperq; religioni mihi fuit pro illius anima precari, veritus ne Dei gratiæ, quam in illa cognoui, iniuriam facerem. at contrà nulla religione prohibitus sum, quin eius preci-

precibus, in quibus multū cōfido, me commendarē. Ora pro me R. P. Ex habitatione Palatina XVI. Kalend. Nouemb. M.DC.I.

T. R. P.

Frater in Christo deditissimus
Robertus Cardinalis
Bellarminus.

CAPVT TERTIVM.

DE COMPLVRIBVS MIRACVlis, ac beneficijs, intercedentibus B. Aloysij precibus concessis diuinitus.

NOn fuit quidem mei consilij, cùm animum ad hanc historiam scribendam appuli, miracula, ac beneficia pluribus locis, meritis & commendatione Beati Aloysij, secundum eius mortem à Deo præstita, sed præclarè tantum cum sanctitate & virtute facta colligere, quæ, Dei ope, nemini non imitari liceret. Neque sanè ex miraculorum laude ad opinionem sanctitatis eius magna fiet accessio, in eorū animis, quibus cum eo vsus, & consuetudo aliqua intercessit. Dona siquidem illa cœlestia, quibus, dum viueret, orna-

tus est, ab hominibus intelligentibus & eruditis pluris, quam edendorum miraculorum facultas æstimantur. Id quodà sacerdote præstanti sapientia, qui lectis tabulis, & monumentis sanctitatis eius, rogatus erat à Superioribus, vt suam de ijs sententiam diceret, disertè his verbis scriptum est. *Sanctissimum sodalem hunc iudico, & qui in sanctorum numerum referatur dignissimum: nam ea muneră diuinitus illi concessa, maiora mihi videtur, quàm si mortuos ad vitam reuocasset.* Ne tamen hoc etiam illi ornamentum defuisse videatur, persequar hoc capite eâ Dei benefacta, & miracula, quæ post eius mortẽ, auctoritate publica, in tabulas relata, & idoneorum testium iureiurando corroborata reperi. nam quę, dum viueret, facta narrantur, consultò reticebo.

Anno M.D.XCIII. cùm Rudolpho Marchione, cui B. Aloysius sua ditione cesserat, Castelli Gotfridi extincto, oppidani, qui paulò ante in eius ditionem hæreditate venerant, arma sumpsissent, ipsius Marchionis, & B. Aloysij matrem lectissimam feminam, tam sęuus ex molestia, quam inde hauriebat animo, dolor perculit, vt in grauissimam ægritudinem caderet, quæ illam in paucis diebus in extremum vitæ discrimen adduxit. iamque cœlesti Viatico, & extrema Vnctione impertita, breui expiratura crede-

credebatur, cùm ecce vigilans filium suum B. Aloysium, immortali quodam apparatu, & multa luce collustratum astantem ante lectum videt, cuius præsentia, & aspectu sic recreata est, vt, cùm antea, quòd oppresso, & exanimato corde esset, nullam lachrymã posset effundere, delitias nunc suas intuendo permota, dulciter fleret, spemque ingrederetur non valetudinis modo suæ recuperandæ, sed etiam reflorescentem liberorum suorum statum videndi. Postquam Beatus abscessit ex oculis, præter opinionem omnium conualescit, atque indies lætioribus successibus crescentem Franciſci Marchionis, qui hodie rerum potitur, fortunam deinde spectauit. Itaque primùm à Beato post mortem editum miraculum, eius in matrem pietatis officium fuit. Hoc admirabile visum, cum mihi Castilione ipsa Marchio, & Brixiæ Laura Gonzaga Martinengæ Comes, narrauit, tum etiam postea authenticis litteris consignatum est. Femina nobilis, cumprimis pia, cùm parturiret, acerbissimis oppressa doloribus, ac deinde alijs atque alijs mortiferis cruciatibus conflictata, cum tandem ingentem sanguinis vim profudisset, viribus deficientibus, fœtum, qui iam extinctus in visceribus hærebat, nulla medicorum ope eniti poterat, iãque animi potius, quam corporis incolumi-

tati, consultum ibatur; quando puella, qua in eadem familia erat, pietati apprimè dedita, & quid apud Deũ posset B. Aloysius, non ignara, eius fidem implorat, &, si nobilis femina imminentem capiti mortem euadat, votiuã tabellam delaturam se ad eius sepulchrũ vouet. Voto suscepto, nobilis femina in lecto recũbens, nulla sua noxa, extinctam prolẽ edit, ac, dũ hæc scribimus, sana etiãnum viuit. Huic rei testandæ puella, quam dixi, pictã tabellã ad Beati sepulchrũ attulit, quę prima omniũ illic suspensa est. Hæc omnia ab ipsa puella accepi, eorumq; in Placentino, alijsq; monumẽtis fit mẽtio.

Antonius Vrbanus Senensis XVI. annorum adolescens, opificio sartor, perturbata capitis valetudine, ex continuo acriũ, & prauorum humorũ defluxu, vultu erat tumido, & vtroq; oculo tam imbecilli, vt neque auram, neque lucem ferre posset. Insuper & febris hominem lecto affligit, vbicũ amplius mensem continenter iacuisset, enatus est in sinistro oculo floccus albus, siue nubecula, aut vlcus gemmæ non absimile, quod, cùm pupillam insedisset, circùm paulatim serpens, eam sic obtexit, vt erepta omni cernendi facultate, adolescentem planissimè excœcaret. &, quòd noxius ille humor, tãto eius dolore labi pergebat, vt fremere assiduò & lamentari cogeretur, me-

tus

tus erat, ne & alteri oculo idem vsu veniret. Tẽtauit Medicus semel, & iterũ alia & alia medicamẽta dare. verũ siue ægritudinis vi, siue quòd adolescenti inopi serius, neq; vt res exigebat adhibita fuerant, pro leuamẽto nocumẽtum attulere. eo comperto Medicus, cùm alia nonnulla remedia præcepisset, neq; tamen mos ei gestus esset, hominẽ præterea adire desijt. itaque æger omni humana ope, & opera orbatus, lecto affixus iaceret: floccus immobilis pupillæ incubare, inflãmmatio & dolor vtriusque oculi indies gliscere, tristis humor tantum abundare, vt ab vtroq; oculo perpetuò destillaret in ceruical. noctu verò vsq; eò oculos tenax illa & viscosa materia cõplebat, vt ægrè esset manè euigilãti palpebras diuellere. Neq; illũ aut crisis vlla, aut exoneratio, aut exinanitio, aut sudor naturalis subleuabat. sed nimirũ spe omni valetudinis amissa, afficiebatur indies grauius. Fortè euenit, vt patruus eius arte figulus, cũ in manibus pueri cuiusdam imaginem B. Aloysij expressã in charta vidisset, quæsissetque de suo sodali: nossetne hunc beatũ, cõplura eius miracula ab eodẽ cognosceret, atq; ad hunc suũ ægrũ nepotem voto illi obstringendũ impelleretur. Cùm id sederet, mandat sorori suæ, Beati imaginem à puero vtendam accipiat, ad ægrum deferat, eumque, votum conci-

pere iubeat. Ibi mulier momentò pietate se aduersus Beatum inflammari sentit, certamque spem præcipit, ob eius merita, sanatum iri, idque sibi præsentire videbatur illa ipsa nocte futurum. Nacta imaginem, abiecta omni cunctatione, sero diei ægro affert, commemoratisque, quæ præstaret, miraculis, hortata vt votum illi faciat, discedit. Antonius pio animo imaginem cum accepisset, plenus vehementissimi aduersus beatum studij, & spei pristinæ sanitatis, in lecto se in genua subrigit, & imaginem manibus tenens, vouet, si eius commendatione intercedēte visum recipiat, se in eius honorem quinquies orationem dominicam, & salutationem Angelicam recitāturum quotidie; plurimumque eius apud Deum gratiæ confisus, tertium eadem imagine cęcum oculum in crucis modum signat, eamque ponè sibi ad caput collocat. Post vbi quinta noctis hora condormisset, visus est sibi secundum quietem ad pristinam valetudinem, atque adeò ad officinam suam redire. hora nona expergefactus à somno, cū oculos consueto dolore vacuos, perpurgatos, diremptis palpebris reperiret, suspicari cępit se consanuisse, certū tamen ęp in tenebris esset, tā cito periculū facere nō potuit. Ergo patruum inclamans, prædicat credere se morbo liberatum esse. neque enim ocu-

los

los amplius sibi dolere, & palpebris nullo negotio diductis, apertos esse. Vbi diluxit, Antonius simul lucem aspexit, Amitam, quæ fortè ad eum venerat, compellans: Video, inquit, amita mea, video, sanus sum. Hac voce illa, simulque eius frater acciti ad lectum, comperiunt, Antonij oculos puros, humoribusque pristinis, & inflammatione solutos; atque etiam floccum, qui prius pusillam occupabat, in sinistrum oculi latus auersum, iam extenuatum atque euanescentem (& postmodum prorsus euanuit) neq; vllum aspiciendi impedimentum afferentem. De hac tam manifesta erga se voluntate, quam maximo licuit impetu eucstigiò Deo, ac Beato Aloysio gratulantur. adolescens, cui prius aëris & lucis aspectus impatibilem molestiam creabat, liber ac sanus lecto desilit, prodit in publicum, rei diuinæ gratijs Deo agendis interest, ac denique, ad ad sartrinam suam postliminiò se refert. Hoc miraculum auctoritate Archiepiscopi Senensis de more, auditis testibus, consignatum tabulis, & complures medici iureiurando testificati, non nisi diuina, & natura maiore vi persanari potuisse.

Nobilis Romanus homo pius, & doctus, quoties nitebatur genibus, incredibili renũ dolore torquebatur, neque ius, quamuis maximo studio quæreret, remedium vllũ

reperiebat. In ea infirmitate cum aliquandiu fuisset, atque in Oratorio D. Marcelli precibus, quæ quadraginta horis celebrantur, submissis genibus vacantē idē cruciat⁹ acerbius premeret, sensit intus animo suo subijci, vt à Beato Aloysio medicinam posceret. ergo enixè precatus, vti pro se Deum deprecaretur, vouet, si his doloribus liberetur, miraculi monumentum ad Beati sepulchrum appensurum. Voto facto, extemplò, magna eius voluptate, dolor omnis & molestia fugit. Verùm, cùm aliquot iam menses voto se exoluere cessaret, eodem malo tentatus, verituſque ne neglecti voti hæc ab se pœna expeteretur, idoneum tempus nactus, cum Romæ in Beati honorem festus dies ageretur, miraculum apud sepulchrum affigit, iterumque repentè dolore leuatur, neque post id loci, vt ipse mihi, alijsque ad amplificandam Beati gloriam, sæpè confirmauit, vnquam præterea his molestijs vexatus est.

Lælius Guidiccionus Nobilis Lucensis Romæ in malignam febrim inciderat. comitabatur eam acerbissimus capitis dolor, perpetua insomnia, inquies, languidi venarum pulsus, virium imbecillitas, luctuosa suspiria, & exi mo corde eiecta, quod mille sibi acubus compunctum sentire videbatur,

batur, adhæc exanthemata, quæ cum vix erupissent, introrsum regredi minari visa, auditus ex parte læsus, vox grauior, summa spirandi difficultas. quæ omnia cum adhibita intus, & extrinsecus remedia nihil lenirent, pro desperato habitus à Medicis, obita confessione, Eucharistiaque susceptа, ad mortem se accingit. Interea à nonnullis Societatis IESV Patribus inuisitur, qui commemorata Beati Aloysij sanctitate, & beneficijs, rebusque admirandis, quas, ipso conciliatore, præstaret Deus, partem aliquam reliquiarum se ad eum allaturos pollicentur. Ille pietate aduersus eum, & expectatione reliquiarum accensus, perinde de sua salute certò confidere cœpit, ac si Deum aliquo pignore obligatum teneret, ratus reliquijs ad collum suum adalligatis, sanum continuò futurum. Postera luce easdem ipse vltrò denuò expetit. allatas eodem die propensa veneratione accipit, &, cùm ijs ad se crucis notam expressisset, implorato quam maximo potuit affectu Beati patrocinio, sibi de ceruice suspendit. Ex tempore, malum sedatur. Medici vespere hominem leuatum reperiunt. accessio sæuissima, quæ ei vitam ereptura putabatur, deinceps ex toto destitit, cruciatus cessere, redijt quies, nocte somnum largiter

largiter cepit, postquam euigilauit liberum se, & lætum comperit. Medici proxima luce ad eum reuersi ne vestigium quidem febris in eo deprehendunt, neque quod maiorem admirabilitatem fecit, ex tam difficili morbo reliqui vel tantillum redijt. Res tota magistratus auctoritate, monimentis prodita, & in tabella depicta ad sepulchrum Beati proposita est.

Anno M. D. XCIX. cùm deuotæ Deo Virgines, quæ Florentiæ ad D. Mariæ, cui ab Angelis cognomentum est, degunt, vitâ Beati Aloysij, vt erat à me principiò descripta, perlegissent, modicum quiddã ex eius ossibus impetrarunt, quod etiamnum singulari pietate, & honore conseruant. Erat in eo Monasterio inter iuniores Virgines, quæ iam Deo consecratæ, arctiori quàm cæteræ disciplina tenentur, vna cui nomen Angela Catharina Carlinia, quæ quattuor ipsos annos graui totius sinistri lateris à vertice ad pedes, sed præcipuè humeri, & brachij dolore exercebatur. nimirum humor, siue destillatio illud oppresserat, à quo magnum aliquod malum, quale postea euenit, metuebat. Siquidem anno M. DC. mense Ianuario noctu, vehementi destillationis, & tussis impetu somno excita, sub sinistra mamilla, quasi graue quoddam onus, cum acerrimo dolore sibi incumbere, par-

partemque affectam quodammodo intus rodi sentit, cum eam manu tentasset, comperit quiddam marmoris duritie, oui magnitudine, quod scilicet cancrũ fuisse postmodum est cognitum. Aegrè, & dolenter vllam corporis partem mouebat, ingrediebatur, caput submittebat, sed nihil acerbius quam brachia attollere. Noctu in illud latus cubare nullo modo poterat, & si quà in id se dormiens conuertisset, dolore stimulata, continuò expergefiebat. Sæpe somnũ ei nullum videre licebat, & inter capiendũ cibum, tãtam accipiebat molestiam, vt vix, quod necessitati satis esset, assumeret. Nihilominus, partim verecundia, partim studio Dei caussa aduersi aliquid patiẽdi duos totos menses & semis hoc nouum malũ omnibus occultum habuit. At vbi Beati Ignatij exercitationibus, quas eius monasterij sacris Virginibus quotannis obire solemne est, erudiri cœpit, cùm inter eas morbus aggraueseeret, religioni sibi duxit diutius eum obscurè ferre. Igitur rem aperit Mariæ Pacificæ Toualiæ suæ, cæteræque illius iuuentutis moderatrici, quæ re cum Euangelista Iucundia Virginum Maxima, & Maria Magdalena Pazzia tirocinij Magistra communicata, vnà cum illis ægram inspicit, contactuque explorant omnes Cancrũ esse, qui item haud ita multò ante, aliam quan-

quandam eiusdem cœnobij sacratam virginem sustulerat. Eius magistra naturalibus medicamentis diffisa, ad opem Dei expoſcendam se conuertit, cumque interorandum se sentiret instingui, vt in loco gratiæ à Beato Aloysio rem Deo commendari postularet, virginem vt idem faciat hortatur: insuper vbi intelligit multum ei in sanctitate Beati fiduciæ esse, tribus cótinenter diebus, reliquijs illis, quarum mentionem feci, super illam, crucem designat. primaque vice dolor omnis, quo caro vrebatur extrinsecus, recessit, reliquis morbi incommodis remanentibus. Igitur Medicorum potestati eam permittere, & solitis remedijs curare deliberant. Iam certum erat postera luce initium medicandi facere, quando virgo desiderio Iesu Christi gloriam Beati Aloysij honore amplificatam videndi inflammata, magno animi ardore se dat ad Beatum orandum, ne eum diem (erat is 6. Id. April. Sabbatum, vti vocant, in Albis) elabi sineret, quin hanc sibi gratiam gratificatus esset. nimirum vt salutem suam non hominum medicamentis, sed eius commendationi acceptam ferre posset. & postquam toto eo die in sacris suis meditationibus omnibus idem beneficium instantius flagitasset, tandem præcipiti iam die, solum Dei, & huius sancti eius famuli

hono-

honorem spectans, in conclaui sine arbitris ad precandum se abijcit. Ibi dum suam illã obsecrationem iterat, inque ea tota hæret defixa, animum sibi fiducia, certaque spe obtinendi, quod optabat impleri sentit, & simul B. Aloysiũ intus in animo his se verbis, alloquentem audit: *Pro fiducia, quæ tibi mei, patrocinijque mei fuit, proque ardenti desiderio, quo flagras, vt hominibus Deus gloriam, quã mihi contulit patefaciat, visum est ei tui te voti compotem facere.* His dictis ingens partem affectam dolor, & dirissimus cruciatus adoritur. quippe visum est ei iniecta in apertum pectus manu, magna vi cancrum, reliquũq; malum omne eximi. Hac acerbitate perfunctam omnis morbi molestia, ac non modo cancer, verùm etiam tota illa lateris infirmitas, qua iam quartum annum detinebatur, ita deseruit, vt salua omninò & incolumis esset. Cæterùm in ea incolumitate recipienda tanta vis doloris fuit, vt deficientibus viribus lapsa, & exanimata à cæteris virginibus reperta sit. itaque necessariò in lecto collocanda fuit. Interea ipsa submissa, vt poterat, voce identidem moderatricem suam appellare, & se iam persanatam esse prædicare. Haud ita multò post confirmata, miraculum, remque omnem, vt gesta erat, exponit. Cæteræ virgines vbi ex toto sa-

to sanam vident, Deo scilicet, ac Beato Aloysio cuius pro ea preces intercessissent, exultantes gratias agunt. Ad retinendā tanti beneficij memoriā huius monasterij sacrę virgines pridie eius diei, qui illi sacer est, quotannis ieiunium instituunt, ipsumque diem erecta arula, eiusque effigie, ac reliquijs cum supplicantium pompa circumlatis, festum agitant. Huius tanti miraculi fama totam Italiam impleuit, & Mantuanus Dux de eo certior factus per litteras, inusitata hilaritate gestijt: Franciscus verò Marchio, qui hodieque eam dignitatem sustinet, homini suæ ditionis, qui primus huius miraculi nuntius fuit, ædes sanè percommodas Castilione donauit. De his omnibus auctoritate Archiepiscopi Florentini, exacto à sacris virginibus, quas nominaui, iureiurando, instrumentum confectū est, interpositā etiam fide duorum medicorū. Alter eorum fuit Hieronymus Mercurialis præstantissimus Magni Hetruriæ Ducis Medicus, in principibus Italiæ Academijs magna cum laude professus, editisque in lucem ingenij sui monumentis celebris. Alter Andreas Torsius Medicus magni Florentiæ nominis: ij in hunc modum subscripsêre.

Ego Hieronymus Mercurialis, cum huius Sacræ Virginis morbum considerassem, in eam opinionem ve-

ni

veni fuisse speciem cancri, qui ab Hippocrate VI. Aphorism. XXXVIII. occultus dicitur, neque vnquam vel efficacissimis remedijs depelli potest. In horum fidem has mea manu scripsi.

Ego Andreas Torsius, quicquid supradictum est confirmo, atque sacram illam Virginem naturæ viribus non potuisse tam subitò ad salutem perduci. quippe huius generis mala (si quidem vinci vnquã possunt) non nisi longissimo tempore, & efficacissimis remedijs vincuntur. In quorum fidem hos versus mea manu scripsi. V. Non. Octob. M. DC.

Marcus Gussonius nobilis Venetus, Patauij in Societatem Iesu cooptatus, cum alterum iam annum tyrocinium poneret, anno M.DC.III. exeunte, in malignam febrim delapsus, non sine eruptionibus, in paucis diebus vsque eò grauiter affectꝰ est, vt tumefacta lingua, ore materia putrida, ac densa referto, dehiscentibus dentibus, ęgrè hiare, vel fari posset: adhoc & mente sępenumerò vacillabat. Morbo indies ingrauescẽte sanitas eius desperatur à Medicis, ac vespere quodam, sacro viatico postera luce instrui iubetur. Venit in mentem pluribus Patribus tum præsentibus, tum absentibus, non absre fore, iubere eum, pro honore B. Aloysij votum aliquod concipere. atque ex ijs vnus, qui alibi degebat, Collegij Patauini Rectorem de hoc per litteras admonuit. alter verò, qui ibidem versabatur, cum circiter horam noctis quintam, coram non-

nullis Beati Aloysij reliquijs proſtratus, Deum precaretur, impellitur diuinitus, vt de hoc eodem ad Rectorem referat, ſpe accenſus, ægrum diuina ope, ob huius ſancti adoleſcentis merita, ad ſanitatem peruenturũ. Eueſtigio intermiſſa oratione, Rectorem adit, quæ mens ſibi iniecta ſit, exponit: Rector approbat, & reliquias, quæ penes Patrẽ illum erant, ſimulque negotium Miniſtro dat, vti poſtero die prima luce, ad ægrum, poſtquam ſalutare viaticum ſumpſerit, eas deferat, ac ſubinde, quippiam, quod ad ipſius amplificationem nominis faciat, vouere iubeat: at quia per id tempus necdum Beati ſepulchrum frequẽtabatur, neque eò peregrinari mos erat, poteſtatem faciat, vel ad Diuam virginem Lauretanam, vel, quò commodius fuerit, ſupplicatum proficiſcendi. Miniſter minimè in poſterum diem cunctatus, extemplò cum reliquijs ægri cubiculum accedit, atque ex Rectoris voluntate, conſilium exponit faciendi voti. Aeger acceptas reliquias inſigni pietatis ſenſu, atque ardore oſculatus, atque confiſus hoc vnum ſuæ ægritudinis remedium fore, flagrantibus precibus Beatum inuocat, & votum vti conſulebatur, nuncupat. Nec mora. leuationem experitur tantoque ea nocte melius ei fit, vt medicorum iudicio poſtridie periculo perfunctus,

ctus, viatici non indiguerit, sed pietatis tantum causſa Euchariſtia participatus ſit. His de rebus omnibus coram Epiſcopo Patauino tabulæ ſcriptæ, & tabella beneficij teſtis, Romam ad Beati ſepulchrum miſſa eſt.

Ioannes Iuſtinianus nobilis Genuenſis, è Societate IESV, cùm ætatem ageret in Collegio Romano 3. Non. Iun. anno M.DC.V. oppreſſus eſt ingentibus dextri lateris renum doloribus. neque diu pòſt omnes vrinæ exitus obſtructi. Medicorum collegium cogitur. Complura illi remedia præcipiunt, medicamẽta non vnius generis per os ingerẽda, fomenta, vnguenta, balneas calenti oleo tẽperatas, mane, & veſperi vectationem curulem, aliaque tum purgãtia, tum lenientia. Quæ omnia cum nihil adiuuarent, iamque decem continuos dies nihil vrinæ reddidiſſet, de vita periclitari cœpit, & Medicus præbendi ei ſacroſancti Viatici auctor fuit. Exeunte die, qui morbi erat decimus, animus ei ad conciliandam ſibi Beati ALOYSII opem rapitur, at quoniam pedibus nequibat inſiſtere, inter duorum manus in ædem ſacram ad Beati tumulum ſe deferri iubet. Ibi ſubmiſſis genibus, multa, humo figens oſcula, cum nonnullas preces recitaſſet,

taſſet, etiam atque etiam Beatum rogitans, vti à Deo ſanitatem ſibi exoraret, vouet denique, ſi eius ſit compos, vno anno, honorandæ ipſius memoriæ, orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam quinquies pronuntiaturum quotidie, itē quotidiè, dum Romæ verſaretur, eius ſepulchrū ſalutaturum, atque ibidem donum argenteum appenſurum. Reductus in cubiculū, eam noctem, quòd ſe ab incluſis corpore humoribus iam opprimi ſentiret, in maximis ærumnis egit. Vndecimo die illuceſcēte, manus, pedes, totum denique corpus intumuerat, venarum nulli motus, aſpiratio grauior. A medico, vbi eum vidit, in deſperatis habetur. A valetudinario præparare animum ad accipiendum cœleſte viaticum iubetur. Hac denunciatione, votū ille proximo veſpere nuncupatum iterat, ſumptaſque in manus quaſdam Beati reliquias, quas à Collegij Rectore acceperat, reuerēter oſculatus, ad affectas partes nudas, quacumq; vrgebat dolor, ſigno crucis expreſſo, adhibet. Momentò poſt, calculus à latere abruptus in veſicam defluit, ac ſubinde, vnà cū omni illa humorum copia, quam vndecimum iam diem continebat, effunditur, vehemenſque ille dolor frangitur, niſi quòd ei triduum pars, qua calculus tranſierat, leniter, & nullo propè ſenſu condoluit. Eodē

die

die votum soluere exorsus, postera luce Beati sepulchrum veneratus, gratijsque actis, ex toto sanus, & firmus, pedibus egreditur domo, & 11. Kalend. Quinct. qui glorioſæ eius ad superos migrationi dicatus est, argenteum recuperatæ diuinitus valetudinis monumentum sepulchro affixit, ac deniq; iuratus hæc omnia legitimis tabulis commendari iussit.

Huius miraculi magnitudinem auxit, etiam alterum quoddam, quod homini simili ægritudine laboranti Augustæ Taurinorum euenit. Philibertus Baronis V. Cl. quadam nocte & ipse acerbis renum doloribus vexatus, vt est cũ primis pius, ad Dei præsidium, eumque orandis tũ alijs Diuis, tum præcipuè Beatis è Societate IESV viris Ignatio, & Xauerio propitiandum se contulerat, horumque etiam imagines popoſcerat. Sed cùm dolor à quarta noctis hora, ad tertiam decimam proximè sequentis diei, non modo non remitteret, sed etiam augeretur, redit in memoriam audisse se, vno circiter ante mense adolescentem quendam Romæ Beati Aloysij precibus à simili morbo admirabiliter recreatum esse. Spem igitur nactus, neque sibi illum defuturum, cum nullam eius effigiem haberet, literas, quæ erant ipsius Beati manu, nuper à Patre quodam dono sibi datas, eo consilio afferri

iubet, vt ad leuandum dolorem, renibus admoueat. Verùm cùm illæ perquisitæ nusquam reperirentur, sublato ad cœli cogitationem animo, quàm maximo potuit ardore mentis, Beatum Aloysium aduocat. Sub hæc leuis eum somnus complectitur, per quem visa illi obuersari species hominis adolescentis è Societate nostra, statura eminenti, quàm breui propiore, vultu macilento, naso aquilino, & longiusculo, quæ lecto appropinquans renes sibi, totumque corpus cingulo in orbem ambiret, ipse, qui Beatum Aloysium de facie non nosset, eum tamen esse suspicatus, euigilat. at ille ex eius iam se subrigentis, manusque in amplexum, & venerationem tendentis oculis cùm euanuisset, certam suæ præsentiæ vim, & effectum reliquit. Siquidem eodem puncto temporis è renibus delapsum in vesicam calculum sensit, de quo Deo, & Beato Aloysio extemplò gratias egit. neque prius horam quartamdecimam sonuit, quàm lapillum eijceret asperum, sanguine imbutum, fabæ crassitudine, ac deinde dolor omnis, & morbus ex toto recessit. Ex eo B. Aloysium sibi suæque familiæ proprium apud Deum patronum, & præsidem delegit, eumque in omni fortuna auxilio sibi esse, & solatio confidit. Cęterùm vt hanc valetudinem Dei se inusitatæ potestati acceptam

ferre

ferrē palam oſtenderet, ſigillum argenteū ad Beati ſepulchrum dono miſit, hęcque omnia apud Archiepiſcopum Taurinorum iuratus expoſuit.

Iohanni Baptiſtæ Philippino Romano filius erat admodum puer, cui nomen Ioanni Franciſco. Is tùm febri hectica, qua annum propè laborarat, miſeris modis conſumptus, atque afflictus, tum verò altero etiam morbo, elephantiaſi, ſeu lepræ perſimili, qui cutem inſidens, & ſparſus toto corpore, nocte dieque eum inquietabat, in vltimum diſcrimen adductus erat. Nullo, præterquam lacte, vtebatur cibo, neque vllum medicamentum ex omnibus, quæ Medici complura ſunt experti, vnquam reſpondit. Acceſſit ad hæc diarrhœa adeò infeſta, vt Medicus abiecta omni ſpe noxæ, quam illa attuliſſet, reſarciendæ, ratus mortem effugere non poſſe, ad eum venire deſineret. Pueri pater in tanta præſidiorum naturalium inopia, ad diuina confugit. ergo cum præmanu illi eſſet dens Beati Aloyſij, eū puero de collo ſuſpēdit, ille eodē die pultem eſitare, morbus inclinare, pect⁹ detumeſcere cœpit, ac deniq; febri, cæteraque omnia aduerſa valetudine ſoluta, mirantibus medicis, integritas cōſecuta eſt.

Porrò quò hoc eſſet illuſtrius, placitū eſt Deo, vt eidem puero aliud præterea mira-

culum contingeret. etenim altero post hæc mense, in malignam febrim relabitur, collum turgescit, exanthematis obseritur, in tibia duo carbunculi enascuntur vsque eò pestilentes, vt eos conspicatus Medicus, cõfestim puerum pro depositio duxerit, matremque eum quàm longissimè ab se habere iusserit. eam enim in ijs contagionis vim esse, vt quamlibet valentem hominem intra quatuor & viginti horarum spatium de vita exturbare præsentes sint. Pueri pateriterum ad eum, quo volenti propitio iam vsus erat se recipit, atque voto vnà cum coniuge pro filij salute concepto, reliquias sacras iterum adhibet. Postero die mane redit Medicus, exquirit iamne vixerit: parẽtes videre, visitat puerum: comperitur febrim omninò discessisse, cæterique morbi sæuitiam discussam esse. Rei nouitate attonitus, cùm in crucis modum se signasset, ita discessit, vt negaret esse, quòd præterea curandi causa reuerteretur. Pharmacopola item experiens, qui pridie vnà cum Medico ægrum inspexerat, admiratione perculsus, cùm manum ad frontem extulisset, ad terram vsque submisit, nimirum, quod aiebat, vt crucis nota miraculi magnitudini responderet. At postquam de voto facto cognitum est, nemini obscurum fuit, quin tantæ rei gloria B. Aloysio tribuenda esset.

esset. puer ad eius tumulum deductus, tabella ex voto posita est. Quibus de rebus instrumentum factum, cui suum testimoniũ, duo Medici, & Pharmacopola ille ascripserunt.

Franciscus Crottus nobilis Brixiensis, cum eum acuta febris grauissimè incursaret, in paucis diebus in vehementi accessione plurimum desipere, & dementire cœperat. iamque ad Curionem maturè missum erat, vt eum, quippe deploratum ab omnibus, sancto oleo imbueret, &, si quidem mens rediret, etiam pœnitentia lustraret. Curio vbi præproperè accessit cum sacro oleo, non modo delirantem, atque aliena omnia loquentem, verum etiam in morbi tantis furijs, & intẽperijs agitatum offendit, vt lecto contineri non posset. Hic eius filius matri suadet, vti pro parente, votum Beato Aloysio faciat. Illa submissis genibus, vouet, si Marito secunda valetudo contingat, sacrificium in honorem Beati faciundum curaturam. Vix omnia voti verba enũtiarat, cùm deliriũ intermittit, æger sibi redditur, peccata sua mente saniissima confitetur, tãtaque deinde febris inclinatio facta est, vt postridiè à medicis integer sit repertus, neq; illa post id loci vnquam reuertit. Voto satisfactum, & litteræ authenticę Brixiæ factæ.

Iuliam Mariniam Brixiensẽ annum quinque,& ſeptuaginta annorũ, poſt trimeſtre ſanguinis menſtrui, ſiue vterini profluuiũ anima defecerat, atque inſuper ardens coorta febris exitialibus acceſſionibus vrgebat. Duo primi in ea vrbe nominis Medici Bettera, & Grillus, de eius valetudine priꝰ auditione, deinde etiam conſpectu ipſo edocti, morbum cùm ſuapte natura, tũ propter grauem feminæ ætatem incurabilem eſſe cenſuerunt. profluuium ſiquidem ſanguinis cum dolore erumpentis, certum eſſe indicium vlceris alicuius latentis in vtero, neque aliud omnibus remedijs poſſe perfici, quam vt in permoleſtam aquam intercutem, cuius iam manifeſta argumenta præferret pedum, tibiarumque tumorem; tandem deſineret. At illa hortatu filij ſui in æde ſacrarum maxima Brixiæ manſionarij, quo die Brixiæ in honorem Beati Aloyſij feſtus dies agebatur, ſuſcepto voto, opem ab eo petit, atq; triũ dierũ ſpatio, febri, ſanguinis profluuio, doloribꝰ liberatur, pedes item, ac crura in paucis diebus, tumore poſito, priſtinum in modum reualeſcunt. Brixiæ res teſtata monumentis mandatur, votumque ſoluitur.

Romę hominem inopem febris, decimo verò die ingens acceſſionis impetus inceſſerat, ſimul vſque eò ſoluta aluo, vt ſe extinctum

tinctum iri crederet. Quoniam verò nihil ei, quo vitam toleraret, aut valetudinem curaret, suppetebat, cùm se in duobus Xenodochijs Christi amore, hospitio accipi, frustra orasset, iter cepit ad id valetudinarium, quod in monte Cælio haud longè abest à Lateranensi Basilica. Ex itinere diuertit in ædem Annunciatæ, in qua Beatus Aloysius situs est, atque ad eius tumulum prostratus, flagrantissimo animo: Aspice me, inquit, Beate Aloysi, si effeceris vt hæc febris, hocque profluuium quiescat, etsi mendicus sum, tamen quòd vnius scrutati sit donum, huc ex voto ferã. Egressus æde, dum viam pergit, paulò post animaduertit & febrim iam se, & profluuiũ, atq; omnem denique corporis difficultatem deseruisse. neq; verò horum quicquam postea accessit. igitur postquam mendicando stipem vnius scutati coegit, voto se exoluit.

Franciscus Fabrinus ciuis Romanus, cùm pridie D. Matthæi, strepitum quendã vesperi in tecto suæ domus fieri audisset, rei explorandæ caussa murum duas pertricas & semis altum, vnde in illud prospectus erat, conscenderat. Vbi, velut à quopiam se percellere nitente, sentit pedibus vim afferri, ac fallente vestigio prono capite præceps in domus impluuium ruit. ac si rectà delatus esset, neces-

necessario illi in grande latumque saxum, quod pro ianua quadam iacebat, caput offendendum erat. quippe in illud pileus, quo opertus erat, decidit. Sed cùm per aerem labens; Beatum Aloysium, vt opem ferret inclamasset, vi quadam, quasi humeros subeunte, subleuatus, aliquot inde passus ad vas amplum fictile sic abreptus est, vt capite in eius orificium illato, nusquam tamen labro illius, impacto, reliquum corpus hæreret in aere. ac tantus fuit præcipitantis impetus, vt in vas immersus, neque se eximere, neque vel tantillum commouere posset. sed neque opem implorantis clamor exaudiebatur. In illis angustijs deprehensus, iterum Beatum Aloysium inuocat, atq; extemplò mirum quantum paruo negotio sine vulnere, sine tumore, sine dolore vllo inde exijt. Igitur salutem suam B. Aloysio acceptam ferens, confestim humi prostratus honorem illi habet, gratesque dicit, ac deinde grati sui animi, acceptique beneficij monumentum, rei gestæ imaginem ad sepulchrum affert. Adrianus Montemelinus Comes, Perusij diuturna ac difficili implicitus febri, neque assidua medicorum diligentia, neque multiplici remediorum genere, atque præstantia leuari poterat. Postquam quinquaginta admodum dies ægrotarat, quidam è Societatis Collegio, quod

est

est Perusij, modicum cutis fruſtum, quod de B. Aloysij corpore, qua nocte ille decessit, abscideratRectori eius collegij, Comiti ferendum dedit. Allatum eius ceruici appenditur. nec mora. finitur febris, neq: amplius reuertitur. Id pluribus consignatis tabulis proditum est.

Cùm Vincentius Mantuæ Dux, Romã, Paulo V. Pont. Max. pedem, more maiorũ, osculatum veniſſet, & ipse ad Beati Aloysij cognati sui sepulchrum venerabundus accessit, atque à Marchione Castilionensi, Cęsaris oratore, insignem reliquiarum eius partem accepit dono. In reditu verò ad suæ ditionis oras, primùm Florentiæ, ac deinde Mantuæ valetudine quadam detentus est, quam crebrò totas hebdomadas, ac menses affixus lecto continuis, acerbisque doloribus coniunctam experiri solet. In ea quàm propitio sit Vsus B. Aloysio intelligi licet è litteris, quas, paucis diebus quàm domum reuerterat, ad eum ipsum Marchionem dedit. Sunt autem hæ.

Illustrissime, & excellentissime Domine. Nactus occasionem, certiorem te faciendi de prospero meo domũ reditu, quam rẽ satis scio, pro tuo in me amore, haud tibi medi cri voluptati fore; neque illud reticere possum, aliquem me iam fructum commendationis Beati Patris nostri Aloysij Gonzagæ cepisse. Florentiæ siquidem cum essem consueta mea valetudine genu correptus, cum votũ quoddam eidem

dem Beato vouissem, ac reliquijs eius, quas abste accepi, partem affectam in crucis figuram contigissem, admirabili quodam modo leniri dolor, & malum solito citius euanescere visum est. Hūc verò postquā deueni, iterū mihi eadem ægritudo latus, quod haud paulò maioris periculi est, incessit. Iterato, & confirmato voto, iterumque adhibitis ritè reliquijs, assequi dicendo non possum, quàm insuetato more recesserit. Itaq; ego ille, qui totas hebdomadas antea maximis doloribus iactari, & complures postea dies in confirmanda valetudine consumere solebam, nunc ex toto sum his omnibus solutus. Quæ omnia Beati nostri precibus, quibus intercedentibus, credo equidem Deum ad suam gloriam ea mihi in loco gratiæ largitum esse, accepta refero. Id quāprimum te scire volui, tecumq; hoc meum cœleste gaudium communicare, quod tibi item in primis iucundum fore certò noueram. simul visum fuerit Pontifici Max. Domino Nostro, permittere, vt aræ illi ponantur, votaq; fiant. quæso id mihi statim renuncies. nimirum vt votū meum exoluam, atq; in hominum, qui mei sunt iuris, animis, pietatem aduersus illum plenam sanctitatis, defigam, atque propagem. Ex animo precor vt me tibi commendatum esse velis, simulque manus tibi exoscular. Mantua. Prid. Kalēd. Octob. M.DC.V.

Vestræ Excellentiæ Cognatus, & seruus Duxæ Mantuæ.

Sigismundus Miskovvski Gōzaga, Marchio Miravvienſis, Magnus Marſcalcus Regni Poloniæ, Capitaneus &c. vir illustrissimus, superioribus annis à Mantuæ Duce in Gon-

Gonzagarum gentem allectus, legatus erat à Poloniæ rege in Pannoniam, vt inde nouam sponsam Poloniæ Reginam deduceret. Is cum Pragam veniſſet ad Cæſarem, à Guilielmo Sanclementio Regis Catholici apud eum oratore viro excellentiſſimo, breuem de virtutibus, ſanctimonia, & miraculis Beati Aloyſij Gonzagæ manu ſcriptum commentariū, eiuſq; prælo excuſam effigiē accepit. Is cùm iter ſuum per Boiohemum proſecutus, prima luce in oppido cui nomen Budroas rei diuinæ adeſſet, repentinò tam vehementi dolore, grauiq́ue morbo oppreſſus eſt, vt in lectum abijcere ſe cogeretur, eoq́ue magis ancipiti, quòd eius vim, & naturam Medici aſſequi non poterant. Idē mali ardor totum eum diem vſque ad mediam noctem tenuit. tum verò vbi neque ſomnum, neque quietem vllam caperenon poterat, redijt in memoriā eius ſcripti, de quo memini, collectoq́; pauliſper animo, illud cœpit euoluere, ac ſubinde intentis in Beati imaginem oculis opē eius feruenti, propenſoq́; animo expoſcere. Vix vota finierat, cū arctior eū in multam lucē cōplectitur sōnus. Expergefactus, ex toto reſtitutā ſibi ſanitatē eſſe comperit. Actis Deo, Beatoq́; Aloyſio gratijs, certæ donariū ad eius ſepulchrū Romā mittere, iter ſuū ſecundo numine perſeqtur. Hęc omnia ipſe-

ipsemet vir Illustrissimus Cracouiæ, apud eius vrbis Antistitem iure iurando testatus est, atque ibidem, rei gestæ historia typis vulgata est, vnà cum oratione, quæ de Beati Aloysij laudibus Lublini est habita.

Flaminius Baccius Romanus Doctor, eius, qui consilio sacrorum rituum est à secretis, adiutor, in febrim quotidianam duplicem inciderat, simulque eum grauis inquies, & tinnitus aurium somnum omnem prohibens fatigabat. Cum nullis Medicorũ auxilijs ad sanitatem proficeret, insuper in prima & vigesima accessione, torminibus etiam, quæ nullum quieti locum relinquebant infestari cępit. Compluribus remedijs à Medico frustra consumptis, sub horam quartam eius noctis, qua febris quartum, & vigesimum accessit, omnibus, qui sibi ministrabant cubitum dimissis, increscente nouo impetu dysenteria, crebrius multam, & cruentam ventris proluuiem deiecit. Ea re perterrefactus, cùm naturali ope se reficí posse desperaret, metueretque, ne se eadem nocte anima deficeret, multas de corporis, deque animi salute curas secum voluebat. septima eiusdem noctis hora, subit animũ Beati Aloysij memoria, cuius vitam, ac miracula, summatim descripta Ioannes Paulus Mucantius V. C. Pont. Max. à cærimonijs, & sacrorum Rituum consilio, cui

Pont.

Pont. de eo in Diuos referendo consultandi negotium demandarat; à secretis ei tribus ante diebus perlegerat. Hunc obtestari cœpit, vt Deum sibi placaret; & quoniam capitis dolor, ac debilitas supinum recumbere cogebat; cùm vtraque manu pansa vultum sibi operuisset, quam elata potuit voce, & significatione pietatis, suam ipse vicem miserans, his eũ verbis inuocat. O beate Aloysi Gonzaga, quem ad tantam gloriã Deus euexit; dignare tuas mihi manus imponere. equidem certam inde salutem exspecto. Quæso te, gratiosè apud Deum adolescens, concede hoc mihi gratiæ causſa, vt ad decernendos tibi Diuorum honores, quos tam ardenter optaui, operam meã nauare possim. Vix hæc pronunciarat, cùm sentit veluti Beati manibus vultum sibi vsque eo premi, ac subigi, dum nasus flecteretur. interim dum modicè respirare nititur, tenuem quidem, sed gratum, ac multò suauissimum odorem hausit, quo tantoperè recreatus est, vt continuò condormisceret, neque ante posteri diei horam duodecimã, qua ab ancilla excitatus est, euigilaret. Tum verò se diuinitus, optato beneficio ornatũ esse cognoscit. Quinque ipsas horas dormierat, non illi condolebat caput, non laborabat torminibus, humores qui coiuerant digesti erant, atque discussi, aluus iam astricta

requietem dabat, febris decessérat, ab omni denique siniſtra affectione confirmatus erat. Ergo ille domesticis omnibus sibi diuinitus rectè esse prædicare, vestes poscere, lecto egredi velle. Interea Medicus cum aduenisset, finitamq; febrim ac morbū remotū reperiret, cognito quid ea nocte euenisset obstupuit scil. ac rei certius explorāde, vrinā inspicit, in qua negauit vllum prēteriti mali vestigium apparere, & Deo cum cæteris gratias egit. Cupiebat ipse quidem quamprimum domo ad inclytū B. Aloysij corpus venerandum exire, sed Medicus q̄ experiri vellet, nū febris reuerteretur, duos dies domi morari iussit. Quibus elapsis pietati suæ morem gessit, hæcq; omnia, sua testificatione firmata, in instrumenta retulit.

Benedictus Rudolphus Nobilis Florētinus, cùm esset septēdecim mensiū, fascinat⁹, vt verimile est, à malo genio obsideri cœpit, fuitq; in eius potestate, ad annū vsq; ætatis vndecimū. Itaq; cū antea bellè habit⁹, venustus, nitidus esset, postea corpore pallido, macilēto, manco, gibboso, contracto, adhęc morosus, & supra quàm credibile sit, iracundus fuit. Quoties à matre vapulabat, oculis horribilē in modū ardere: seipse crebrò cædere: caput muro impingere: in terra volutari: matrē, vt se enecaret, orare: in aquā præcipitem se dare, alijsq; modis vitam sibi

sibi adimere conari: docili quãuis esset ingenio, doctrinæ tamẽ Christianæ capita ægerrimè discere: Prætereunte supplicantiũ põpa, in qua Diuorum reliquiæ ferrẽtur, ad fenestram contineri non posse, vociferari, turbari, & iã grãdiusculus se proripere: Nõ rarò quædam supra ætatis captũ dicta dicere: nonnunquam etiam à dæmone tantillus puer ad sermonis, gestuũq; obscænitatem impelli. Principiò ignota adhuc vi mali, Medicis curãdus erat traditꝰ. sed nihil profectũ est. Cõperto dęmonis furijs agitari, sacræ preces ad eum expiandũ crebro adhibitæ, & deductus ad ædẽ D. Virginis Matris, quæ humani haud procul Pistorio magno energumenorũ cõcursu celebratur, frustra vtrũq; fuit. Anno M.DC.V. mense Decẽb. cùm ab importuno genio solitò grauius vexatus esset, cõmemorauit Matri, manifestò obiectam sibi Christi crucifixi speciẽ, duobus sacerdotibus latera stipantibus, quę bono animo esse iuberet. in breui liberatũ iri. Mater duos illos sacerdotes, Beatos è societate Iesu viros, Ignatiũ, & Xaueriũ interpretata, eorũ reliquias quærit, nec reperit. Vbi verò didicit Violanti Mediceæ lectissimæ feminę nõnihil esse de reliquijs B. Aloysij, eas impetrat, pueriq́ue collo alligat. Vix admotæ erant, cũ ille vehementi motu concuti, ingentiq́ue clamore, vti eas auferrent,

flagitare quòd earum contactu vndiq; vri se diceret. At qui aderant vi retinere adigunt, dum sacerdos deuouendi gnarus accerseretur, quem inter execrationes reliquijs item illis vti iusserunt. qua re in libertatem vindicatus est. Nam cum sacerdos inter expiationis ritus Beati reliquijs alias atque alias pueri corporis partes contigisset, neque vsquam Dæmonem deprehenderet, tandem excessisse suspicabatur; ad extremũ in sinistro brachio prope manum, latitantẽ cùm ostendisset, superimpositis reliquijs abire compulit, puero semianimi relicto. singularis tamen eius quies, & tranquillitas fuit, cui item postea semper constitit, ac dũ hæc mandamus litteris etiam nũ constat. Puero mirifica in B. Aloysium pietas hęsit, matrẽq; orauit, vti se studijs tradat, itaq; educet vt aliquando Societati aggregatus B. Aloysio in loco filij esse possit. Hisce de rebus omnib⁹ auctoritate Archiepiscopi Florentini fide publica litteræ consignatæ sunt.

Angelæ Bohomiæ Brixianę puellę XXI. annos natę, crus vtrumque ad eum modum mutilum erat, vt dextrum septem locis foratum, sinistrum crassissimo tumore in sũmo pede impeditum esset. itaque non nisi ligneis adminiculis vtrique axillæ subiectis se mouere, aut ingredi poterat. ac tum etiam ægrè, quòd neque dextrum pedem vn-

quam

quam humi figere posset,& sub alis, perpetuo eorum vsu,brachia luxata haberet.Iam alterum, & dimidiatum annum ad hunc modum claudicarat, cùm die anniuersariæ Beati Aloysij memoriæ sacro, hortatu feminæ nobilis,ac piæ ad ædem D. Antonij, vbi Patres Societatis domicilium habent, in qua proposita est Beati imago se cõtulit, ac vix intra templi limen constitit,cùm præ lassitudine porrò progredi inualida, humi procumbit in genua, conuersaque ad Beati effigiem, & oratione dominica,atque salutatione Angelica quinquies recitata, sanitatem ab eo postulare insistit. Addit insuper votum,si compos fiat, quando nihil aliud inopi suppeteret, adminicula illa sua apud imaginem eius,indicium acceptæ,eo agente,à Deo salutis suspensuram.Remigrat domum. eadem nocte lacunæ illæ dextri cruris impleri,sinistri tumor residere incipit. Itaque postridie mane valetudine in melius inclinata,confirmatior,altero duntaxat adminiculo,intra tertium, quartumue diem neutro eguit, paulò post verò adeò plena sanitate potita est, vt dextrum crus quod antea vis mali contraxerat,in iustam longitudinem excresceret, ac proinde crepida, qua plus tres digitos alta erat vsa, submittẽda necessariò fuit. Huius præstiti sibi diuinitus beneficij memoriæ perpetuandæ ad-

minicula sua iuxta Beati effigiem in illa æde appendit.

Neq; verò minus copiosè B. Aloysius in homines Castilionenses, suæ quondã ditionis, benignitatis suę fontem effudit. id q ex instrumento publico, quod admodum nuper, ibi confectum est, cognosci licet. in eo hæc beneficia ac miracula pluribus explicãtur, quibus ab Archiepresbytero Castilionensi his verbis compendium est factum.

I. Celsus Botturrus homo infirmus, qui nõ nisi scipione nixus, ac tum etiã ægrè ingredi poterat, die, quo stato B. Aloysij felix quotannis excessus recolitur, ad ædem sacram, in qua eius effigies palam visitur, vectus iumento, triũ milliarium iter facit. Ibi cũ vouisset se in certã diem ardentẽ lãpada præbiturum, inde, abiecto scipione, quasi integer ad negotia sua discedit, atq; in breui firmus omnino euadit, quod ille libens merito B. Aloysij deprecationi attribuit.

II. Antonia cõiunx Ioannis Baptistæ Marmẽtini, Notarij, qui in cõficiendis de Beati vita instrumẽtis versatus est, quadã nocte subitis, grauissimisque tibiæ doloribus oppressa, eadẽ nocte vouet se cereum, & pedis simulachrũ Beato oblaturũ. Mox sopitur, ac deinde omni malo vacua expergiscitur. neque dubitat quin B. Aloysij meritis intercedentibus abscesserit.

III.

III. Margarita, Alexandri Melinæ perhonesti viri coniunx, in ingenti coxæ, & tibiæ tumore erat, & assiduò vix ferendum in modum cruciabatur. Neque deerant certa argumenta alicuius fracturę, & omnino sectione egere apparebat. Vouet Beato argenteam cruris effigiem: momentò dolor diuinitus recedit, & tumore sensim euanescente, nulla parte fracta, aut secta, persanatur. id quod ipsa Beati Aloysij meritis fert acceptum.

IV. Camilla Ioannis Iacobi Ferrarij coniunx, quæ B. Aloysium educarat, cum octo ipsos annos febri hectica continuò detenta esset, eius effigie visa, vouet ei sigillum argenteum. Nec mora. leuatam se sentit. quiescit febris, valet bellissimè, & hac gratia B. Aloysio se deuinctam fatetur.

V. Ioanni Iacobo Ferrario ardētissima febris filium paruulum extorrebat. vouet pro eo statuā Beati, subitò ex toto conualescit, & Beati beneficentiam prædicat.

VI. Magdalena cōiunx Antonij Gualatij cardialgia laborans, mortem opperiebatur. Votū Beato concipit, & mox veluti manu quadā malū omne cordi suo eximi sētit, neque vllo præterea dolore tentatur. Deo & Aloysio, cuius præsidio sit vsa, gratias agit.

VII. Thaddeus Sigurtadus Notarius intolerabili sinistri femoris dolore corrept⁹, cū

se commouere non posset, noctu Beato simulachrum cruris argenteum vouet. Postera luce prope liber ab omni noxa surgit, atque intra biduum omninò consanescit.

VIII. Andreas Stolfinus surdus factus erat, octo circiter post diebus, cùm Beato se voto obligasset, manè se comperit propter eius merita sanatum.

IX. Idem cùm pectore multis saxorum ictibus conuulnerato sanguinem eiectaret, votum Beato vouet. eueſtigio sistitur sanguis, intra biduũ cõfirmatur, & Beato gratiam se debere profitetur.

X. Bartholomæo Melliarino Siluij F. intempesta nocte repentinus secundum auré tumor pugni crassitudine, erat exortus, qui ne saliuam deglutiret, ac prope etiam ne spiritum duceret impedimento erat. Beato votum nuncupat. eodem puncto temporis intermittit dolor, subsidit tumor, prima luce absq; vllo mali vestigio ad me venit, & Beato gratulatur.

XI. Franciscus Smarallius Simonis F. qui è genu laborabat, grauissimeque torquebatur, neque propter neruorum valetudiné, è lecto se mouere poterat, voto se Beato obstringit. extemplò disrupto genu, lecto desilit, ac postridie ex toto validus Desenzanum septem millium passuum iter conficit.

XII. Pe-

XII. Petri Pilotti filius 30 mẽsium infans, altera corporis parte, contractis neruis, fœdè debilitatus, & spumas in ore agens, à Medico depositus erat, Parẽs vota Beato facit, confestim longè meliusculus liquidò esse incipit, & breui recreatur.

XIII. Dominici Ferrarij filia ob tumorem, qui ei extiterat in gutture, cibum assumere nequibat. Cùm deindè pater noctu votum pro ea Beato Aloysio fecisset, filia ante lucem se corripit è strato, & cibum absque vllius difficultatis sensu capit.

XIV. Lælia Francisci Ghirol di coniunx, tã erat grauiter affecta, vt nulla iã facultate sumendi cibi, in mortis discrimine versaretur. at illa noctu hora septima, voto Beato suscepto, decima valetudinem se integrã adeptam esse comperit.

XV. Stephanus Benedictus Doctor, molesta destillatione, quam nulla hominum medicina soluere valebat, oppressus, donarium argenteum ex voto pollicitus, opem, & secundiorem valetudinem Beati commendatione impetrauit.

XVI. Hortensius Bonus diuturno implicitus morbo, accedente insuper cruenta diarrhœa, deploratus erat à Medicis. Vouet Beato statuam argenteam, atque continuò mirificè subleuatur. desistit morbus, minuit profluuium, ad sanitatem proficit

plurimum, ac breui spatio eam ex toto cõsequitur.

XVII. Gothardus Alexandrinus tres ipsos menses tertiana conflictatus, eo die votum Beato vouet, quo accessura erat. at illa nunquã reuersa, ipsi deinceps rectè fuit.

XVIII. Angela Frãciſci Ceradelli coniũx, duos & viginti continenter dies, immensis circa cor doloribus exercita, mori formidabat. Vix votum Beato conceperat, cum dolor remittit, ac fugit.

XIX. Petri Bosij filius triennis ægritudine correptus, agebat animam. Pater voto eum Beato stringit. postera luce, perinde ac sanus solet, cibum capit.

XX. Bartholomæo Cimæ filius anniculus, è lecto delapsus, animam in primoribus iam labellis habebat. pater in vota Beatum vocat. Momentò infans valet, ridet, mammam petit.

XXI. Antonius Ferronius stomachum, ac tergum graui onere afflictârat, neque vsquam quietis partem vllam capere poterat. Confert se in ædem sacram, ac voto coram Beati imagine suscepto, inde de improuiso valens discedit.

XXXII. Ioannes Iacobus Giroldus longinqua affectus febri, simul eam ampliorem fieri videt, votum Beato facit, ac nulla interposita

posita mora illa discedit, neque præterea redit.

XXIII. Ioannes Antonius Morattus, solitus femoris, genu, ac pedis dextri dolore, & tumore tentari, postquam id malum semel & iterum redintegratum animaduertit, Beati gratiam voto expetit, & illud extemplò quiescit.

XXIV. Iulij Faini vxor cùm fœtum eniti non posset, ab obstetrice moritura credebatur. voto Beato edito, partu simul, & periculo omni statim soluitur.

XXV. Valerij Factorij coniunx è difficili gutturis affectione ægra, eodem, quo Beatũ voto aduocarat, die, omninò firmatur.

XXVI. Catharina Ambrosij Notarij coniunx ischiadico dolore laborabat, & auxilia omnia mortalia frustra erant. Beato votum nuncupat, & melius ei fit: soluit, & tantum non ex toto sanatur. quarto demum die ad plenam integritatem peruenit.

XXVII. Christophorum Saxium annum totũ febris cõtinuò exagitarat. Mater quodã die pro eo votũ Beato concipit: ille proxima sequente nocte liber euadit.

XXVIII. Baptista Fezzardus manu, ac brachio luxato & tumefacto, insuper febriebat, non sine dolore, & periculo distẽtionis neruorum. Voto in Beati honorem facto

facto dolor lenitur, inclinat valetudo, breuique restituitur.

XXIX. Martha Pauli Bettij coniunx in difficultate pariendi Beatum voto inuocat, eueſtigiò parit, ſuamque incolumitatem obtinet.

XXX. Pauli Bettij filius trimulus collo tumenti, & læſo in modum ſtrumæ menſem ipſum ægrotabat, voto à Patre Beato Aloyſio facto, in duobus diebus ſalutem recipit.

XXXI. Antonius Serlius amplius tres annos cruribus erat moleſtiſſimè affectis. cócepto B. Aloyſij nomini voto leuationem capit, neque multò poſt rectè valet.

XXXII. Andreæ Pedercini vxor partum edere nequibat. fit votum Beato, ſtatim parit.

XXXIII. Petrus Cattaneus V. R. in æde ſacra Parochiali ſacrorum adiutor, ſupra quàm credibile eſt, maligna febri, inflammata phrenitide, & capitis eriſipelate grauatus, vt ambuſtum videretur; ſuæ iam mẽtis non erat. At ſimulac mater pro eo voti fecit, ad mentem redijt, & valetudine deinde bona eſt vſus.

XXXIV. Martha Ioannis Iacobi Fezzardi coniunx pedum ægritudine, & acerbiſſimis dolóribus quatuor ipſos menſes cruciata, ſtatim ac beatum voto propitiarat, melius

melius habere cœpit, & ad incolumitatem venit.

XXXV. Marthæ Ioſephi Balarini coniugis, & ſimul prolis, quam in lucem edere nō valebat, vita in dubium venerat. verum Beati ope voto quæſita, eueſtigiò eam partu dat, & quidem vitalem. Beato gratia eſt.

XXXVI. Ioannes Maria Bertaſius ingenti femoris, coxæ, & tibiæ dolore quartum iā diem ſic impeditus, vt ægrè ingrederetur, tandem, prout licuit, in ædem ſacram ſe cōfert, vouet, oleum in lampades, quæ pro Beati imagine ardent, ſuppeditaturum, ſubitò ſanus, planeque immunis abſcedit, & beati meritum agnoſcit.

XXXVII. Bartholomæi Caſtellini filio tenello, ſeptem continenter dierum valetudo, integrum nihil præter oſſa, & ſpiritū reliquerat. vouet parens ſtatuam ſe Beato poſiturum. continuò filius, quòd adhuc nequiuerat, pedibus inſiſtere, & ſuapte ope progredi incipit, atque intra octo decemve dies reſtituta carne ſaluus, ac valens euadit. parens Beato gratulatur.

XXXVIII. Infantem tredecim menſium Bernardini Boſij F. prona facie, mater in medium focum cadentem conſpicata, vouet Beato ceream infantis effigiem, ac filiū ſine vlla ignis noxa erigit, idque Beato aſſignat.

XXXIX.

XXXIX. Franciſca Ioannis Mariæ Paſtoris vxor pauore quodam attonita, quattuor ipſos dies tremebũda, atq; eiulabunda, cõcurſum multitudinis ſe ſequentis perpetuò ſibi audire videbatur. Deduci ſe in ædẽ ſacram ad Beati effigiẽ iubet, atq; inde, quod Beati gratiæ fert acceptum, omnibus illis incommodis libera digreditur.

XL. Franciſci Theodoldi filius puer quadrimulus, ex caſu grauiſſimè ſaucius, duos omninò dies continuò moribundus iacuerat. Nocte pro eo votum Beato concipitur, & prima luce ſanus reperitur. quod pater B. Aloyſio libens attribuit.

XLI. Ioannes Paulus Segala, grauiſſimo ſeptendecim dierum dorſi cruciatu, ſic iacebat, vt nec tantillam corporis partem cõmouere, neque niſi inſtillata per fiſtulam potione, bibere poſſet. Is cùm oleum in Beati lampades vouiſſet, intra tres horas ſe conuertit, expediuntur artus, atque, vbi diluxit, abſolutè curatus exurgit: id à Beato Aloyſio meritò ſibi imputari teſtatur.

XLII. Cæcilia Baptiſtæ Zelini coniunx ſex menſibus è crure laborabat, quod fractum, ac tumidum, pes etiam totus luxatus erat, igitur quattuor paſſus conficere nequibat. Vouet crus cereum Beato, & in quatuor diebus perſanata ei

tà ei gratias agit.

XLIII. Dominica Antonij Desenzani cõiunx morbo articulario, qui à pedũ vnguibus exorsus sensim sursum repẽs in gutture consederat, affligebatur. ea voto Beato suscepto, dolore, & intra horæ spatium omni illa affectione prorsus leuatur.

XLIV. Rigo Regazzolus acceptis tum in altero brachio, tum sub ilio in siniſtro latere vulneribus, neque lingua, neq; sensibus competebat, sanguinẽq; excreabat. Fit pro eo votum, extemplò sermo redijt, & sensus, ac paulatim çonualescens breui spatio valetudinis firmitatem recuperat.

Infinita alia multiplicis generis beneficia complures accipiunt, qui ad Beati effigiem supplicatum veniunt. ante eam duodecim lãpades liberalitate confluentis populi instructæ, super magnum cereorum, ac tædarum numerum, quæ identidem afferuntur, perpetuò viuæ seruantur. atque hactenus circum eam pendent donaria omninò quadringenta.

Cracouiæ tiro Societatis Iesu, cùm octo iam dies morbo teneretur, suasu sodalis sui Beatum Aloysium opem valetudinis orare imbibit. Vespere ergo vouet se ad eius honorem decem sacrificijs adfuturum, ac totidem precum coronas recitaturũ. Postridie mane, rei admiratione attonitus ipse, atto-

attonitis item omnibus, qui in ijsdem ædibus degebant, valetudine ex toto redintegrata surgit è lecto. Id præpositus Prouincialis Poloniæ, qui rei gerendæ adfuit, testimonio suo sanctè confirmat.

De alio miraculo, quod in Gallia Cisalpina est editum, item de pluribus quibus in suæ ditionis regionibus eius effigies astitit, deque multis quibus eius præsidium adfuit, instrumenta Patauina meminerunt. De energumenis nonnullis, quos eius reliquiæ iuuerunt, atque vt se Romæ homini sæculo obnoxio ostenderit, & raræ cuiusdam rei gratiam fecerit, in Venetis tabulis legimus. De puella ex mammilla ægra, quæ postridie à Medicis secanda erat, quemadmodũ Beati ope, cui votum illa fecerit, ab ijs secãdi causſa venientibus, sana comperta sit: deinde de homine ancipiti febre eius imaginis contactu liberato, tum de alterius puellæ, eo in aduenerationem aduocato, febri hectica percurata, auctoritates Tiburtinæ fidem faciunt. In Polonia Patri Stanislao Oborschio, qui cum in tyrocinio versatus erat, Beatis Ignatio, & Stanislao comitatum, morienti visum esse, vsque in Italiam fama attulit. Alia eius in se supra vim mortalem collata merita, multi commemorant, quæ omnia percensere nimis longum esset.

Neque

Neq; verò minor est eorum numerus, qui se eo annitente, Deumque propitiante, cõplura interioris illius, cœlestisque salutis animi subsidia obtinuisse profitentur. Id adeò ex his, quæ diuinitus præstita sunt cognosci licet.

Adolescens Polonus ab ineunte ætate plurimum semper orationi, ieiunijs, verberationibus, alijsque suijpsius afflictationibus apprimè deditus, vita in sæculi licentia sanctè, integreque traducta, Cracouiæ tyrocinium Societatis IESV erat ingressus. Is ipsis sanctioris vitæ initijs ad impias in Deum, Beatissimam Virginem matrem, ac Diuos cogitationes suscipiendas grauissimè, molestissimeque sollicitari cœpit. Quæ quidem vel maximè rerum sacrarum meditationi, precibusq; intentum, cælestibusque gaudijs fruentem adortæ, mentem omni derepente pietatis sensu exutam, maximis motibus turbabant. sæpe ille diuinã opem orauit: sæpe Virginis Matris, sæpe aliorum cœlitum fidem implorauit, sed, quòd fortassis illi hoc beneficium Aloysio qui tam deuoto sibi animo seruisset, deprecanti tribui malebant, exaudiri nõ meruit. His importunis inferni hostis telis alterum iam mensem appetito, cũ prima luce quondam inter comprecandum ijsdem ex consuetudine tentaretur, venit in mentem à

Deo sibi per Beatum Aloysium Gózagam, quem in simili discrimine alijs præsto fuisse in eius vita legerat, auxilium petere. Tulit ei suas preces, rogauitque obnixè, vt hac se molestia leuaret. Nec mora. pectus sibi spe ac fiducia, simulque mirifica quadam hilaritate compleri sentit, proinde ac si omnis iam illa animi ægritudo sedata esset. Neque eum fefellit opinio. siquidem eius deinceps semper expers omninò fuit. Rem ipse Beati gloriæ propagandæ vltrò alijs exposuit, & iuratus apud acta professus est. In transalpinis regionibus homo pius, Diuinoque numini deuotus, complures annos omnium tentationum libidinis securus in religione trãnsmiserat, quando, Dei permissu tanta vi ab impuro genio infestari cœpit, vt totum ei annum, stadium perpetuò fuerit in acie, & cum visis, imaginationibusque turpitudinis, cum veneris stimulis & adhibitis sensui titillationibus dimicandum. neque interea solatium vllum dabatur, aut requies. In edia, flagris, cilicijs, cæteraque victus, cultusque asperitate corpus macerabat. nihil promouebat. sæpe à mensa, sæpe ex hominum congressibus se proripere, atque ad illachrymandum, ingemiscendumque suæ infelicitati abdere cogebatur. ibi prono in puluerem vultu procumbens, misericordem

Deum

Deum precibus flectere insistebat. denique postquam nihil non remedij, quod quidem profuturum speraret, expertus esset, minimè tamen cupiditates accendi desinebant. Accedebat insuper & illud, quòd maxima vi in eam execrandam mentem impellebatur, vt neque Deum, neque Diuos, qui tot precibus fatigati, sibi tam infortunato non opitularentur, nostra curare non crederet. Ad vltimum, cum annum ipsum in hoc tam difficili conflictu ita duraſſet, vt nullum vsquam subsidium reperiret, subijt mèmoria sanctæ, atque innocentis vitæ Beati Aloysij Gonzagæ, de qua cum alia, tum illud inprimis acceperat, singulari Dei beneficio corpus ab omni venereæ rei impetu, mentem ab omni flagitij specie semper immunem habuisse. Eo igitur postremo perfugio vti constituit, eum obtestatur ex animo, eius denique sacras reliquias, quas fortè pœnes se habebat, sibi de ceruice suspendit. vix eam illæ contigerant, cum ex improuiso in totũ omnis ille cogitationum furor aufertur, status menti placidissimus, quietissimusque redditur, iamque duo elapsi sunt anni, postquam ab omni illo tentationum genere intactus, tãtum beneficium B. Aloysio debet, eiusq; ope tuetur. De his omnibus legitima auctoritate scriptum factum: anathema

argenteum Romam ad eius tumulum mis-
sum est.

Alia eiusdem generis, quę à testibus fidei plenis accepi, recensere possē, qui se confirmant, cùm antea in vitium Castitati inimicum habitu quodam demersi essent, postquam Dei opem, hoc eius famulo deprecāte, tentare sunt aggressi, siue eius sepulchro honorando, siue reliquijs, aut imagine penes se gestanda, siue ad eius honorem piè quippiam facere instituendo, siue eo in aduocatum, patronumque deligēdo, illis immundis facibus quasi restinctis, nulla vnquam præterea labe integritatē suam polluisse. Verùm quia deliberatum mihi est ea solum hoc libro persequi, quæ publicis monumentis commendata reperi, hæc autem sine eorum nota, quibus euenerunt, perscribi nequeunt; libens ea prętereo. Illud vnum adiungam; si verum est Beati Aloysij effatum, vt est verissimum, quod dū vixit tenuit, Cœlites ad eas potissimum virtutes consequendas, quibus ipsi in vita ornati erant, mortalibus opem, operamque profiteri: cum ipse non modo puritatis & castimonię, sed aliarum etiam plurium virtutum, quas adhuc explanauimus, tam inusitata laude floruerit, procul dubio iam cœlo receptus, ijs cumprimis volens propitius erit, qui earum parandarum, aut tuendarū studio,

ſtudio, ad eum confugerint.

Atque ex his quæ hoc capite narrata sũt, facile augurari licet, Deum, qui rebus ab eo geſtis necdum in vulgus proditis, ipſo deprecatore, ipſiuſque nominis illuſtrandi cauſſa, tot res admirabiles effecerit, tantũq; beneficiorum præſtiterit, longè etiam & numero plura, & dignitate clariora eius cauſſa facturum, poſtquam, vita ipſius typis mandata, magis etiã quod adhuc fieri videmus, fama apud populos, & veneratione creuerit.

MEDITATIO DE SANCTIS Angelis, atq; ijs inprimis, qui hominum cuſtodiæ præſunt, à BEATO ALOYSIO GONZAGA conſcripta.

DIctum eſt à nobis in ipſo curſu hiſtoriæ, Beatum Aloyſium meditationẽ ſuam de Beatis Angelis, litteris mandauiſſe, rogatu P. Vincentij Bruni, qui, cùm neſcius non eſſet, quanto ille cœleſtes mentes honore coleret, quamque præclarè de ijs ſentiret, id ei negotij dederat. Nimirum vt, aliorum bono, tam inſignium ſublimiumque ſententiarum monumenta ſupereſſent. Ea meditatio, vt ab omnibus, vnà cum eius vita, legi poſſit, hic mihi collocanda viſa eſt. eſt verò huiuſmodi.

EVANGELIVM.

Matt. 18.

ACcesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit. Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.

PROPHETIAE.

Psal. 112. 1. *QVis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra?*

Iob. 5. 2. *Deus ponit humiles in sublime.*

Dan. 7. 3. *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.*

Psal. 90. 4. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.*

Psal. 33. 5. *Immittet angelos Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

Eccl. 1. 6. *Ne dicas coram angelo, non est prouidentia: ne for-*

ne fortè iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.

CONSIDERATIONVM PARS PRIOR. IN COMMVNI.

CONsidera, qua ratione Christus Dominus noster pro magno amore, quo nos creaturas suas prosequitur, nunquam desinit nouas, præbere occasiones gratiam suam consequendi, & in virtutibus proficiendi, vt tandem perueniamus ad finem, æternam scilicet fœlicitatem ab eo nobis præparatam. Atque ideo voluit in Ecclesia sua celebrari omnia nostræ redemptionis mysteria, vt renouata indies memoria omnium, quæ Dominus egit, aut passus est pro salute nostra excitaremur ad amandum illum & colendum, atque etiam conformandum omnes actiones nostras ad sanctissimę vitæ suæ exemplar nobis relictum. Neque hac re contentus, voluit præterea sigillatim suæ sanctissimæ & benedictæ matris, atque ex omnium Sanctorum cœtu, quorundam præ cæteris excellentium peculiarem in eadem Ecclesia agi memoriam, vt essent velut patroni & protectores nostri, suisque orationibus nobis subuenirent in necessitatibus tam corporalibus quàm spiritualibus, simulque occa-

casionem darent nobis suas virtutes & sanctæ conuersationis suæ exemplum imitandi. Voluit deinde quoque, vt quoniam Ecclesia, & omnes nos Sãctorum Angelorum ministerio tot tantaque beneficia à sua maiestate quotidiè recipimus, eorum quoque solennis memoria quotannis haberetur. Et certè conueniens erat, vt homines erga illos aliquam grati animi significationem demonstrarent, quandoquidem tantoperè desiderant & procurant salutem nostram. Eã igitur ob causam Ecclesia sancta memoriã recolit glorioſi S. Michaelis singularis sui protectoris, omniumque reliquorum Angelorum & Archangelorum hierarchię cęlestis, quia omnes, teste Apostolo, sunt ad-
Hebr. 11. ministratorij spiritus, laborantes quodammodo pro salute omnium electorum. Non dedignantur beati spiritus demittere se ad ministerium hominum, alioquin ipsis longè inferiorum, quia vident Deum optimũ maximum cui tam cupidè & ardenter seruiunt, eousque demisisse se, vt ob salutem hominis, etiam formam hominis assumpserit. Neque etiam dedignantur hominem in suam societatem cooptare, & permittere, vt ex nobis vermiculis, ex hoc vili puluisculo ædificentur muri cęlestis Hierusalem, suæque ruinæ restaurentur, quia adorant supra se, ipsum hominem factum Deum.

Consi-

Considera autem hic, quàm congruenter Ecclesia Sancta in festo huius inuicti Archangeli præsens Euangelium de virtute humilitatis legat. Nam sicut superbus Lucifer ad vsurpandum diuinum honorem ex altissimo Paradisi throno præcipitatus fuit in profundum inferni: sic humilis Michael cum toto Angelorum bonorum exercitu, subijciendo se creatori suo, & zelo gloriæ eius opponendo se fastuoso illi serpenti, tãtoperè fuit honoratus, & in summam dignitatem euectus. Proponitur quoque hoc Euangelium in solennitate omnium eorũ Angelorum; qui vnà cum beato Michaele virtute humilitatis consecuti sunt coronam gloriæ; vt homines intelligant hoc esse ineffabile & ęternũ decretũ Dei, neminẽ posse peruenire ad gloriam, quã possident Angeli, nisi per viam humilitatis, quã illi primùm institerunt. Imò & Christus Saluator noster beneficio huius virtutis sui sacri corporis gloriam acquisiuit, vt dicit Apost. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, &c. Propter quod & Deus exaltauit illũ.* Quare prodigiosa res esset, si eius fideles alia via, quàm caput ipsorum, ingredi regnũ cælorum vellent.

Apoc. 12.

Philip. 2.

2. Considera excellentiam horum cœlestium aulicorum Paradisi principum, quam licet mens nostra perfectè capere non pos-

sit, tamen pro exigua luce, ex eorum erga nos ministerio nobis communicata, conabimur in eorum honorem ob oculos ponere partem aliquam dignitatis & gloriæ à Domino eis concessæ. Tria igitur sunt, quæ illustrem solét reddere, aulam, vel exercitum magni Principis. Primò nobilitas personarum; secundò earundem numerus; tertiò ordo. Tria hæc imprimis relucent in angelicis spiritibus. Si enim primò consideres eorum naturam, inter opera manu artificis magni Dei condita, principem locum vendicant: sunt substantiæ spiritales: natura sua incorruptibiles, omniumque creaturarum nobilissimæ: intelligentia tãta, vt in rerum naturalium notitia expertes sint omnis erroris & ignorantię. Huic quoque tanto lumini intelligendi conformem habent voluntatem ita firmam & perfectã, vt nulla perturbatione affici vel vinci possint. Si verò te conuertas ad statum, in quo beneficio gratiæ nunc versantur, nullo vnquam admisso peccato consecuti sunt gloriam & æternam fœlicitatem. Adhæc in sua essentia ornati sunt habitu diuinæ gratiæ, qui eos pulcherrimos & gratiosissimos in conspectu Dei reddit. In intellectu dotati sunt claro lumine gloriæ, quo à facie ad faciem vident suum Creatorem: in voluntate verò habitu cari-

ritatis, quo amantes amore perfectæ amicitiæ Deum, simul Filij & amici ipsius Dei efficiuntur. Nunc ergo anima mea, contemplare horum cœlestium ciuium pulchritudinem, qui instar tot stellarum matutinarum, imò clarissimi Solis, resplendent in ciuitate Dei, in quibus tanquam in lucidissimis speculis diuinæ perfectiones, vt infinita potentia, æterna sapientia, ineffabilis bonitas, & ardentissima Creatoris caritas relucet. O quàm amabiles, quàm puri, & candidi sunt hi beati Spiritus, quam zelosi vindicandæ Domini gloriæ, quàm cupidi & solliciti de nostra salute, atque ideo quàm digni, vt à nobis peculiariter amentur & colantur. Etenim si honor (vt aiunt Philosophi) est cultus qui alicui debetur ob excellentiam, vel virtutem quam in se habet, & idcirco ijs hominibus, licet omnes secundum naturam inter se sint pares, qui aliqua laude alijs præcellunt, maiorem honorem deferre solemus: quanto potius nos creaturæ tam viles & abiectæ, si cum cœlestibus spiritibus conferamur, omnem honorem & cultum eis deferemus? cum vnusquisque eorum, licet minimus, in supra commemoratis dotibus & excellentijs, nobilissimum quemque hominum mortalium longè superet. Præterea si sancti angeli, creatu-

ræ

ræ tam nobiles natura & gratia, omnibus reliquis antelatæ, demittunt se & honore afficiunt hominem, quia Deus eundem amauit & honorauit; multò certè conueniétius, nos perpusilli vermiculi, omni honore, & deuotionis affectu prosequemur eos, quos Deus tanto perè honorat & exaltat in cœlo. Hi enim sunt filij illi dilecti, qui semper cõtemplantur faciem Patris, & candida illa & pura lilia inter quæ ipse pascitur, & montes aromatibus odoriferis pleni, in quibus cœlestis sponsus ambulat, & se recreat.

Cant. 28.

3. Post dignitatem & excellentiam huius aulæ cœlestis considera numerum & ordinem aulicorum. Et primò, quod ad numerum attinet, is tantus est, vt non solum excellat numerum hominum omnium qui nunc viunt, verum etiam eorum qui vnquã extiterunt, aut futuri sunt vsque ad diem iudicij. Multitudo horum beatorum spirituum, similis est arenis maris, & stellis, quas Sapiens dicit, numerari non posse. Atque vt asserit S. Dionysius Areopagita capite 9. cœli hierarchiæ, maior est numerus angelorum in cuiuslibet ordinis, quã in mundo sit in vllo ordine rerum materialium. *Millia millium*, dicebat Propheta, *ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, vbi more suo scriptura numerum certum

Eccl. 1.

Dan 9.

pro

pro incerto,& quidem numerum hominũ opinione maximũ, vt intelligatur numerũ eorum à solo Deo iniri posse, quodque apud Deum numerabile est, id apud homines esse infinitum & innumerabile. Et ideo legimus in Iob: *nũquid est numerus militum eius?* De quorum numero etiã dixit regius Propheta loquendo de Angelis, *Currus Dei decẽ millibus multiplex. millia lætantium, Dominus in eis, in Sinai, in sancto.* Sanctus quoque Euang. vt est in Apoc. ait viſam magnam multitudinem in conſpectu Dei ex omnibus populis & linguis & nationibus, quæ numerari non poterat. Si hic electorum numerus, quem ſcimus minimam eſſe hominum partem, tam magnus eſt, vt numerari non poſſit; quantum putamus fore Angelorum, qui decies omnium hominum numerum excedunt? Meritò autem tantum hic cœleſtis monarcha habet aulicorum numerum: nã ſi, vt dicit ſapiens *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis,* cùm Deus ut princeps ille excellentiſſimus, rex regum, & Dominus dominantiũ, valde conueniens erat, vt familiam amplã, & aulam numeroſam in ſpatioſo illo regno & immenſo cœli palatio haberet. O quantum gaudium & ſolatium tibi afferret anima mea, ſi multitudinem tam nobilium creaturarum, cum natura tum gratia præſtan-

Iob. 25.

Pſal. 67.

Prou. 14.

1. Tim. 6.

ſtantium, atque etiam gloriæ nomine beatarum intueri poſſes. O ſi tibi fælix illa ſors aliquando contingeret, vt inter cœleſtia illa agmina in tantorum Principum & filiorum Dei, imò fratrum tuorum cœtu verſarere: non enim erubeſcunt ſublimes illi & amabiles ſpiritus homines pro fratribus agnoſcere, eo quod Dominus eorum, non ſolum non veritus eſt vocari, verum etiam verè, per aſſumptam carnem, voluerit fieri frater noſter. O quàm libenter etiam tu vnà cum vocibus illis angelicis laudares & benediceres Dominum tuum pro tãto beneficio ab eo recepto.

4. Conſidera deinde mirabilem ordinẽ à diuina prouidentia angelicis ſpiritibus decretum & conſtitutum, ſiue cum Deo, ſiue inter ſe, ſiue cum alijs huius mundi creaturis componantur. Si enim conferas illos cum Deo, nulla eſt inter eos diſcrepantia, omnes enim eum vnanimiter colunt & reuerentur, tanquã ſolum Principem, & cęleſtis ſuæ ciuitatis Dominum. Si inter ſe, nulla in tanta multitudine confuſio, ſummus ordo, admiranda diſtributio, diuerſis intelligendi modis conſentanea; Alius alio ſublimior & excellentior, prout Deus illis ſua arcana reuelat, eorumque miniſterio in hominum ſalutem vtitur. Et vt ad particularia deſcendamus, tota glorioſorum illorũ ſpi-

spirituum multitudo tribus Hierarchijs, suprema, media, & infima cõtinetur. Quæuis autem Hierarchia in tres choros, summum, medium, infimum, distinguitur. Prima earum continet Seraphinos, Cherubinos & Thronos. Vbi ex eorum nominibus facilè cognosces eorum officia in quibus exercentur: proprium enim Dei est, imponere creaturis nomina officijs eis commissis conformia. Contemplare igitur primum chorum Seraphinorum, qui velut cubicularij secreti & intimi Regis cœli, conuenienter nomini suo non solum sunt pleni & inflammati caritate, sed spiritalis ignis instar diuino amore semper ardent, & simul eodem accendunt, & illustrant Angelos sibi inferiores. Deinde contemplare Cherubinos, ita vocatos, ob plenitudinem scientiæ, maiusque lumen intelligentiæ, quo excellunt omnes reliquos inferiores spiritus, eò quod clarius Deum videant, & in eo plura cognoscant. Quare sũt velut Consiliarij Regis cœlestis, clari scientia & sapientia, quam etiam communicant Angelis inferioribus. Contemplare post hæc Thronos, qui velut familiares & intimi Dei secretarij hoc nomine ornati sunt, quod sint quasi sedes & throni regij, in quibus quodammodo residet & quiescit diuina Maiestas, quam etiam, quocun-

quocunque vadunt, quasi in sede Pōtificia, secum deportant. Descende deinde ad secundam Hierarchiam, quæ continet alios tres Angelorum choros, Dominationum, Virtutum & Potestatum, qui singulatim vniuersali gubernationi horum inferiorū sunt attributi. Et primo contemplare Dominationes, quæ representantes supremi Principis dominium, regiorum Præsidum more, inferioribus suis imperant, & in diuinis mysterijs ad gubernationem orbis emittunt. Secundò contemplare Virtutes, quæ sua potentia & vi adumbrantes infinitam potentiam Domini virtutum, omnia ardua & difficilia exequuntur, mirabilesq; effectus in creaturis ad Dei gloriam operātur. Tertiò contemplare Potestates, qui instar iudicum repræsentant authoritatem & potestatem summi & vniuersalis Iudicis, officiumque habent aëreas potestates coercendi, omniaque impedimenta & molestias ab hominibus remouendi, ne eis aditus ad salutem intercludatur. Descendendo denique ad tertiam & vltimam Hierarchiam, in qua continentur tres alij chori, Principatus, scilicet Archangeli & Angeli; contemplare primò principat⁹, ita appellatos, quod, sicut hæc extrema Hierarchia à Deo constituta est, ad exequenda diuina iussa erga creaturas, ita Principatus, qui sunt Angeli primi

mi chori', quoniam repræsentant supremũ Principem, præpositi sunt gubernationi diuersarum prouinciarum & regnorum particularium. Hi quoque, vt præcipui, quemadmodum à DEO immediatè mandata accipiunt, ita eadem alijs Angelis inferioribus committunt, & auxilium etiam præbent ad ea præstanda. Sequuntur deinde duo alij Archangelorum & Angelorum, qui conuenienter nomini suo, sunt velut legati & nũcij à DEO in mundum varijs de causis emissi, atque etiam custodiendis certis locis & hominibus adscripti. Nec aliud discrimen inter hos duos choros est, quam quod Archangelis maiora, Angelis minora committantur. Atque hoc totum est illud exiguum, quod nos de diuina illa architectura, & ordine domus DEI intelligere possumꝰ. Quod si acies intellectus nostri longius progredi posset, & penitus inspicere naturam & functionem cuiusque Angeli, deprehenderet eos, sicut singularia singuli officia & exercitia habent in superna Hierusalem, ita singulari quoque ordine suo omnem illam beatam aulæ cœlestis multitudinem mirificè exornare. Etenim quemadmodum videmus hoc nostrum spectabile cœlum tot stellis ornatum, & secundum numerum planetarum, in orbes distinctum, mirabili ordine moueri, & vim suam in

terram subiectam exercere: sic cœlum illud spirituale & inuisibile, ordine magis admirando & diuino tot angelorum, quasi stellarum varietate ornatum est, per quos Dominus vniuersitatis, tanquam per totidem planetarum orbes omnes donorũ & charismatum spiritalium influxus in humanũ genus deriuat. Ergò age anima mea,
10. si Regina Saba audita sapientia Salomonis, & conspecta regij palatij magnificentia, numeroque & ordine ministrorum illi inseruientium, ob summam admirationem prudentiæ sapientissimi Regis attonita, *non habebat*, vt loquitur scriptura, *vltra spiritũ*, dixitq;: *Beati viri tui, & beati serui tui, hi qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Quanto magis tu occasionem haberes non tam admirandi cum illa Regina, quam cum bono illo Propheta deficiendi præ desiderio & amore beatæ habitationis, si posses perfectè intelligere dignitatem, & excellẽtiam, & ordinem aulæ veri Salomonis, quã sua æterna sapientia & arte constituit & ordinauit. Quæ consolatio, quod gaudium, rogo, tibi esset, si post huius vitæ cursum tibi quoque illa fœlicitas contingeret, vt vnà cùm cœlestibus illis spiritibus aulicum agere possis tanti Domini, cui *seruire, regnare est.* O Sancti & puri angeli, ô verè beati, qui perpetuo diuino conspectui assistitis, &

tanta

tanta cum lætitia faciem illius cæleſtis Salomonis inſpicitis; à quo tanta ornati eſtis ſapientia, tot ditati prærogatiuis, & digni effecti tanta gloria. Vos ſtellæ lucidæ, quæ tam fæliciter ſplendetis in cœlo Empyreo, infundite quæſo in animam quoque meam beatos veſtros in fluxus, ſeruate fidem meã immaculatam, ſpem firmam, mores inculpatos, amorem integrum in Deum & proximum. Oro vos angeli beati, vt auxilio veſtro quaſi manu dignemini me per regiam humilitatis viam deducere, quam vos primùm inſtitiſtis, vt poſt hanc vitam vnà vobiſcum æterni Patris faciem contemplari merear, & reponi in locum alicuius ſtellæ olim per ſuperbiam de cœlo elapſæ.

DE ANGELIS SPECIATIM.

PARS POSTERIOR.

VERVM poſt contemplationem Angelicarum Hierarchiarum, dignum eſt, vt aliquid quoq; contemplemur de inuicto illo cœleſtis exercitus Duce Sancto MICHAELE Archangelo qui ob egregium ſuum zelum, & fidelitatem à DEO Princeps conſtitutus eſt omnium illorum Angelorum, qui ad diuerſa miniſteria in

mundum amandantur. Fuit quoque beatissimus Michael hoc nomine, quod interpretatur, *Quis vt* DEVS, honoratus; nam cùm superbus Lucifer elatus fuit aduersus Deũ, eiq; similis fieri voluit, fortissimus hic Archangelus, non ferens tantam Domini sui iniuriam, ardentissimo zelo flagrans exclamauit, dicens, *Quis vt DEVS?* Quis vt DEVS? hoc est, quis tam audax, tam potens est, vt audeat se assimilare DEO? atq; si diceret. Non est, siue in cœlo, siue in tota vniuersitate, creatura aliqua similis DEO nostro. O fortissime Michael, hoc nomine verè dignissime, benedictus sis inter omnes angelos, & omni laude & honore dignus inter homines, quia ita fidelis fuisti & zelosus in vindicanda DEI gloria. Hic glorioſus Archangelus nõ solum in triumphante, verumetiam militante Ecclesia fuit à Deo multis dotatus priuilegijs. Nam primo in veteri Lege factus est protector & custos Synagogæ, in noua verò princeps & defensor Ecclesiæ DEI. Hic est præpotens ille Dux & Capitaneus, cuius ingentem animum & fidelitatem sectatus, totus bonorum Angelorum exercitus virulenti illius serpentis audaciæ se obiecit, & obtrito eius capite, victoriam obtinuit, eumque præcipitem de cælo egit, cum omnibus suis assectis. Adhæc, quotiescunque opus fuit

Apoc. 12.

aliquo

aliquo cœlesti auxilio, & pro salute fidelis populi pugnandum, semper præsto adfuit inuictus Michael. Hic enim in Aegypto pro DEI populo depugnauit, quando per multa signa & miracula è Pharaonis seruitute liberatus est. Hic est, qui horribili illa nocte, omnia Aegypti primogenita percussit. Hic est, qui per quadraginta annos tanquam Capitaneus & Dux filios Israel antecedens, in mari rubro exercitum Pharaonis illos persequentem demersit: deinde occidit, & excidit tot gentes & exercitus illi repugnantes, ac denique saluos & incolumes perduxit in terram à Deo promissam. Post mortem quoque Moysis, cùm callidus dæmon conaretur populum Dei ratione sacri eius corporis inducere in idololatriam, hic fortis Archangelus zelo honoris diuini ardenti & salutis populi, validè se illi opposuit, eumque in fugam coniecit. Hic denique, Israelitico populo dum captiuus in Babylonem abductus est, tempore captiuitatis exacto, manum auxiliarem porrexit, omniaque impedimenta liberationis remouit. Quamuis verò in quibusdam locis & actionibus iam recitatus non sit nomen Michaelis expressum, tamen quia ille à Deo constitutus est protector & custos Iliuspopuli, certò credi potest, illum ipsum, vel certè alios angelos ex commissione ipsius

Exod. 7.

Deut vlt. Iudas in epist.

interueniſſe. Præterea hic glorioſus Archangelus, ſupra generalem protectionem Eccleſiæ ſanctæ quam ſuſtinet, habet ſpecialem quoque functionem ſibi demandatam, omnes iuſtorum animas recipiendi, qui ex hac vita ad alteram demigrant, eaſque inſidijs & oppugnationibus dæmonum ereptas tribunali CHRISTI præſentandi, vt conſequantur præmium, pro meritorum ratione illis à Deo attributum. Deinde in fine & conſummatione huius mundi fortiſſimus quoque hic Archangelus apparebit ad bellum iucundum cum Antichriſto, qui confictis miraculis fideles peruertere conabitur, vt Eccleſiam DEI aduerſus terribilem illam perſecutionem tueatur. Poſt obtentam autem victoriam, & Principem tenebrarum in puteo abyſſi infernalis alligatum, ipſe Archangelus horribilem illam tubam inflabit, ad cuius ſonum omnes mortui reſurgent, & æterno iudici ſiſtentur, extremam ſententiam audituri, qua iuſti æternæ gloriæ, peccatores autem perpetuis ſupplicijs addicentur. Tunc non erit amplius locus vel tempus miſericordiæ aut gratiæ, ſed tantum ſereniſſimæ DEI iuſtitiæ; omneſque iuſto Dei iudicio adiudicabuntur loco, quem quiſque in hoc mundo degens promeruerit. O inuicte Princeps, & cuſtos fideliſſime Eccleſiæ

Tim. 4.

cleſiæ DEI, animarumque fidelium, qui ſemper tanta caritate, z loque tot pugnis interfuiſti, tantaſque ex hoſte victorias retuliſti, non ad conciliandam tibi famam & exiſtimationem, vt ſolent Duces huius ſæculi, ſed ad conſeruandum, tuendumque honorem & gloriam, quam omnes DEO debemus, deinde ad ſalutem humani generis promouendam; veni, quæſo, in auxilium animæ meæ, quæ continenter cum tanto periculo à ſuis inimicis, carne, mundo & dæmone impugnatur; & ſicut Dux fuiſti populo Iſrahel per deſertum, ſic quoque velis eſſe fidelis dux & comes meus per deſertum huius mundi, donec ſecurè me perduxeris ad fœlicem terram viuentium, ad beatam illam patriam, à qua omnes exulamus. O anima mea, vtinam quando aderit vltima hora profectionis tuæ, terroris & diſcriminis plena, cùm à corpore tantopere amato cogeris diſcedere, ſolaque & nuda anguſtiſſimam mortis portam, per tot infeſtas infernalium draconum, capitalium hoſtium tuorum; acies tranſire, qui te inſtar famelicorum leonum rugientes circumdabunt, ad te rapiendum & deuorandum parati; vtinam, inquam, illo temporis puncto hic inuictus Archangelus, vti ſemper promptus fuit in omnibus

animarum fidelium periculis, tibi quoque cum honorata sua cohorte dignaretur subuenire, & pro te pugnare, & fortissimo protectionis suæ scuto efficere, vt securos per medios hostes in patriam cœlestem euadere posses. Quod si etiam ante seueriſſimi iudicis tribunal tui patrocinium susciperet, pro te respondendo, suisque precibus peccatorum tuorum veniam obtinendo, & denique te sub suo victrici vexillo receptum perduceret ad sanctam illam beatamque lucem, qua ipse cum omnibus Angelis & electis filijs lucis refulget cum sempiterno gaudio & gloria Creatoris, quanto cum solatio & lætitia cordis ex hoc mundo excederes?

6. Post glorioſum Principem Michaelem cõsidera dignitatem & præstantiã prerogatiuorum Archangeli Gabrielis, qui licet in scripturis vocetur Angelus, non ideo existimamdum est, eum fuisse ex infimo Angelorum ordine, qui peculiariter mittuntur in auxilium & ministerium hominum, sed fuisse Angelis superiorem, nempe Archangelum, & inter Archangelos primum. Nam sicuti mysterium ad quod annunciandum ille venit, non fuit commune, sed excellentissimum, dignissimumque ex ijs quæ vnquam Deus exhibuit, ita cogitãdum est diuinum hunc legatum fuisse vnũ ex nobilissimis in illa Hierarchia comprehensis

henſis. Hic eſt fidelis cœleſtis ſpõſi amicus, qui factus ab eo conſcius altiſſimi illius ſecreti de ſua Incarnatione, primus illud mundo patefecit. Hic eſt ille gratioſus paranymphus, qui mediator fuit inter altiſſimum Deum, & humilem virgunculam, de Nazaret, inter Verbum æternum & noſtrã naturam humanam. Iam ad melius intelligendam huius Archangeli dignitatem, cõſidera ſigillatim officia à Domino illi commiſſa. Et primo, vt quidam ſancti affirmãt, piè credi poteſt, illum in ſingularem cuſtodem beatiſſimæ virgini attributum. Ac ſicut DEVS aliam puram creaturam neque in cœlo neque in terra habuit nobiliorem, & quæ ipſum impenſius amarit, MARIA Virgine; ſic cogitare potes, ſicut Principes huius mũdi res ſibi cariſſimas cuſtodiendas dare ſolent aulicis fideliſſimis, ſibique addictiſſimis, ſic in illa cœleſti aula gloriosũ Gabrielem meritò inter meliores & cariores apud Regem cœli numeratum fuiſſe. Conſidera deinde alterum huius beati Archangeli officium, quod erat, eſſe Legatũ à Sanctiſſima Trinitate miſſum pro negotio ſublimi & maximi momenti, nempe pro incarnatione vnigeniti filij Dei, & redemptione ac ſalute totius mundi. Quare optimè in eum conuenit nomen Gabrielis, nomen myſterij plenum, quod interpretatur, VIR

DEVS: nam CHRISTVM annunciauit mundo, qui simul futurus erat DEVS & Homo. Deinde hoc nomen Gabrielis, magis propriè idem est, quod, *Fortitudo* DEI, idque ad denotandum idem mysterium, quod annunciarat mundo, nempe fortissimum & triplicatum funiculum, id est arctissimam diuinæ naturæ vnionem cum corpore & anima sanctissima Christi in vna hypostasi, & æterni verbi persona, sicut scriptum est, *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Dicitur quoque fortitudo Dei quia legationis suæ beneficio diuinam fortitudinem nobis communicauit, hoc ipso quo Deus cum humana natura nostram quoque imbecillitatem assumpsit. Vnde homines beneficio huius fortitudinis facti sunt ita animosi & fortes, vt multa fecerint quę omnem fortitudinem, viresq; humanas excedunt. Angele verè fortis, quia legatione tua hominibus non solùm diuinum robur attulisti, verum etiam ipsum Deum omnium fortissimũ, qui ablatis spolijs, & forti armato profligato, qui tanto tempore diram in nos tyrannidem exercuerat, nos è seruitute vindicauit, & filiorum Dei libertati restituit.

Eccl. 4.

Luc. 4.

7. RESTAT nunc post consideratum zelum, factaque Principis Michaelis illustria, & mysticam Archangeli Gabrielis for-

fortitudinem, vt consideremus quoque officiosam caritatem angeli Raphaelis, qui cũ sit, ipso teste, vnus è septem spiritibus in conspectu DEI semper assistentibus, probabile est illum esse vnum ex præcipuis angelis paradisi. Et ex consequenti considerabimus multa beneficia quæ quisque tam in corpore, quam in anima recipit à suo angelo custode. Nam hic glorioſus Raphaël tum ratione nominis sui, tum officiorum misericordiæ quæ ille detulit vtrique Tobiæ, seni & iuueni, omnino fuit typus & figura luculenta eorum, quæ faciunt erga nos angeli custodes. Et primò aptissimè in illũ competit nomen Raphaelis, quod interpretatur, *medicina Dei*, ab effectu medicinæ tam spiritalis iuueni Tobiæ datę, quã corporalis qua seniori Tobię Patri visũ restituit. Quo verò alio officio fungitur erga te Angelus custos, nisi medici tã corporalis quam spiritualis? vt inferiùs dicetur. Quare vt id melius intelligas, considera tres esse humanæ vitæ status. Primus est quo homo adhuc degit in vtero matris. Secundus, à tempore natiuitatis, vsque ad mortem, & iudicium animæ suæ particulare. Tertius est, in quo homo versatur post mortem. In vnoquoque ergo horum statuum, congruenter omnibus actionibus Raphaëlis Angeli, contemplare singula officia quæ custos

Tob. 12.

Tob. 6. & 11.

ſtos Angelus erga te exercet. Quod ad primum ſtatum attinet, narrat Scriptura, cum ſenior Tobias cogitaret filium ſuum in remotam regionem mittere, ſollicitum fuiſſe de fido comitatu ei attribuendo. Et ecce, antequam bonus iuuenis domo paterna pedem efferret, Angelum à Deo miſſum, ſpecie humana, ſe offerentem in comitem atq; etiã in ducem totius itineris. O caritas immenſa, & cura plus quam paterna creatoris, qui antequam è ventre Matris prodires, priuſquam vllam inimicorum tuorum & periculorum impendentium notitiam haberes, mandauit vni beatorum ſpirituum, qui ſemper diuinam eius faciem contemplantur, atque illi ipſi, qui primus Matris tuæ cuſtos fuerat, vt tui curam ſuſciperet, inciperetque te in tenello illo ſtatu multis periculis obnoxio vnà cum Matre præſeruare, quo ſine impedimento vllo, ſecurè ad gratiam baptiſmi peruenire poſſes, & in filiorum Dei numerum inſcribi. Sed quid dico ego, de cura & memoria à Deo habita pro te adhuc in vtero materno exiſtente, imò ab omni æternitate, antequam angelos, vel aliud quicquam condidiſſet, cum nondum eſſent abyſſi, nondum locata eſſent fundamenta cœli & terræ, iam ô homo miſerabilis tui memor erat & de tua ſalute ſollicitus. Et quanquam ab

æter-

æterno tuam ingratitudinem & indignitatem præuidit, nihilominus ex mera bonitate sua, nullo tuo antegresso merito; non solum decreuit tibi illud auxilium præstare, sed etiam omnia beneficia in te conferre, quæ huc vsque à primo tuæ conceptionis momento recepisti, & deinceps vsque vd vltimum, omnium maximum, æternam scilicet beatitudinem es recepturus.

8. Deinde quod ad secundum statum vitæ tuæ attinet, cùm in lucem huius vitæ prodijsti, subiungit scriptura sacra quemadmodum Angelus Raphael egressus cum Tobia è domo Patris, promiserit se fidelem eius cómitẽ toto itinere futurum, saluumque ad locum destinatum perducturum. Tob. 5. Non secus Deus te, simulatque natus es, cum vno horum cælestium ciuium comitatus est, vt tanquam singularis custos, & pædagogus tui patrocinium susciperet, tuumque aduocatum apud suam Maiestatem in cœlo ageret. In hac enim vita omnes sumus velut pueri, opusque habemus tutore & pædagogo, qui quasi manu nos ducat & sustentet, Gallat. 4. ne fortè pedes nostri in aliquam petram peccati impingant, aut graue aliquod periculum adeant: qui quoque nos in brachia sua excipiat, vt securè loca periculosa transeamus, nec ante periculum animad-

uerta-

uertamus, quam euaserimus. Secundo, si-
Tob. 6. cut angelus Raphaël ducens iuuenem Tobiam per viam, optima consilia illi suggerebat; instruebatque sigillatim, qua ratione matrimonium inire deberet, nempè non hominum carnalium more, sed cum sancto timore Dei, crebraque oratione: sic Angelus tuus custos continenter tibi bona consilia suppeditat, & in omnibus actionibus dirigit: ille enim te excitat & impellit ad multa bona opera facienda, quæ sine hoc auxilio non faceres, idque nunc alliciendo CHRISTI Domini & Sanctorum exemplo, nunc tuam voluntatem considerationè bonitatis diuinæ, infinitorumq; eius beneficiorum inflammando, nunc etiam futuri iudicij, pænarumque inferni memoria mentem illuminando, Tertiò pergit Scriptu-
Tob. 6. ra narrare beneficia, quę Tobias ab Angelo Raphaële, tam quoad suam personam, quàm quo ad bona temporalia, recepit. Cum enim peruenisset ad fluuiũ Tigris, & in eo vellet lauare pedes suos, insilijt in eũ piscis immanis ad eũ deuorandum: sed angelus eum defendit, & ab eo periculo liberauit, voluitque vt fel eius acciperet ad restituendam cæco parenti sanitatem. Adhæc idem Angelus non solùm redemit pro Tobia summam illam pecuniæ, ob quam erat missus, sed hæredem quoque eum fecit

omnium

omnium facultatum soceri sui Raguelis. Iam quid aliud agunt Angeli nostri custodes, nisi vt continenter, ad auxilium nobis præstandum in necessitatibus nostris vigilent, haud secus ac mater intentos semper oculos habens in puerulum suum, ne fortè labatur, aut mali aliquid faciat. Cogita igitur à quot periculis corporalibus te præseruarit, quæ æquè ac alij, incurrere potuisses, atque etiam quam fuerit sollicitus in procurandis tibi bonis temporalibus: vt sanitate, viribus & alijs adiumentis, vt vitam conuenienter statui tuo instituere posses, atque illi statui, qui ad salutem consequendam tibi esset accommodatior. QVARTO, sicut Angelus Raphaël (vt ipse dicit) officium sibi vindicabat, orationes, bonaque opera Tobiæ Deo offe- Tob. 12.
rendi, sic angelus noster custos pro nobis exercet munus procuratoris in conspectu Dei offerendo orationes tuas & desideria, & qualiacunque opera bona, quæ facis, semperque à Deo aliquod donum gratiæ diuinæ ad te referendo. Vtinam videre fas esset, quanto studio angeli sancti nunc ascendant, nunc descendant pro nobis, vt faciebant in scala à Iacob Patriarcha conspecta, ascendunt exponendo necessitates nostras, precandoq; Deum vt diuinam suam Gen. 2.
misericordiam nobis impertiat: descēdunt autem

autem, reportando à Patre cæleſti ſanctas inſpiratiónes, cogitationes bonas, aliaque diuina auxilia, & interdum etiã correctionem aliquam paternam, vt excitet nos, noſque ipſos exploremus, ne ſimul cum hoc mundo cõdemnemur. QVINTO, ſicut angelus Raphael Tobiam docuit modum, quẽ tenere debebat ad exterminandum dæmonium, vt non haberet amplius poteſtatẽ in ipſum, contra quẽ etiam ipſe angelus pro iuuenis defenſione pugnauit: ſic angelꝰ noſter cuſtos non aliter quàm fidus Capitaneus, cui commiſſa eſt arx aliqua aduerſus hoſtes defendenda, diligenter vigilat, ne vi vel fraude ab illis occupetur. Hi enim Angeli ſunt fideles illi cuſtodes, quos Dominus dicit collocatos in muris Hieruſalem ad cuſtodiendum per vigilias noctis gregẽ ſuum, ne lupus ille infernalis aduerſarius noſter, inſtar leonis, animas noſtras abripiat. Ad hos quoque cuſtodes angelos pertinent illa verba Apocalypſis. *Eſto vigilans, & confirma.* Vigilat enim angelus cuſtos pro nobis contra dæmonem, obijciendo ſe eius incurſibus, frangendo & debilitando eiꝰ vires; & acceptam reparando iacturam, ne amplius tanta confidentia & audacia inuadere audeat. Confirmat quoque nos, nunc remouendo peccatorum occaſiones, nunc à multis vitijs & peccatis deterrẽdo, in quæ, deſti-

1. Cor. 11.
Tob. 8.
Apoc. 3.

destituti eiꝰ auxilio, facilè incideremus, nũc etiam corroborando nos & animando in occurrentibus tentationibus & afflictionibus, ac deniq; à Domino impetrando fortitudinem ad victoriam obtinendam SEXTO, sicut Angelus Raphael dæmonem, no Tobiam, velut omnes reliquos mulieris maritos, occideret, comprehensum alligauit in deserto: ita noster bonus Angelus singulariter nobis tempore mortis assistit, vt illa hora ab insidijs & impugnationibus dæmonis nos tueatur, & immunes reddat, qua acrius, quàm aliàs solet, circuire quærens quem deuoret: deinde vt à peccatis illis, quibus id temporis maximè obnoxij esse solemus, vt infidelitatè, & desperatione nos præseruet; atque ita ex miserijs huius mundi liberi ad cœlestem patriam migrare possimus. Ad hęc postquam anima è corpore excessit, idem angelus eam comitatur, solatur, animat vt confidenter se tribunali diuino sistat; obijciens eius oculis merita IESV Christi pretiosissima, in quibus tempore illius iudicij fidere debeat. Si autẽ ad expiandas peccatorum reliquias adiudicata fuerit Purgatorio, ibi eam sæpe inuisit, solatur, certiorem reddit de precibus piorum pro ea in mundo fusis, & deniq; de futura liberatione securam esse iubet.

9. QVOD ad tertium, eumq; extremum

tuum ſtatum attinet, conſidera quid demiq; angelus Raphaël fecerit quomodo videlicet, cùm coniugem iuueni Tobiæ aſſignaſſet, omnibuſque ſui ſoceri bonis ditaſſet, multis donis & opibus onuſtum eum in domum paternam reduxerit: vbi tanto maiore gaudio receptus eſt, quanto maior erat mæſtitia de eius reditu retardato, metuentibus omnibus ne fortè perijſſet. Hic ſimul contemplare tui fidi cuſtodis officium, qui animam tuam poſtquam confecta longa & periculoſa peregrinatione ab omni macula expurgata fuerit, cœleſti ſponſo per cœleſtem paranymphum coniunctam, multisq; donis & diuinis chariſmatibus ornatam ac totam hilarem & lætam conducet ad cœlũ, ad illam ſupernam Hieruſalem matrem noſtram, ibiq́ue magno gaudio & exultatione omnium paradiſi angelorum & ſanctorum, à quibus multo ante fuerat expectata, cæleſtis Patris conſpectui præſentabit, vt diuinis eius manibus recipiat coronam gloriæ, & fœlicitatis eius, quæ ab æterno ei præparata fuit, & pro qua nos miſeri adhuc ingemiſcimus, & ſuſpiramus in hac lachrymarũ valle. O millies beata anima, quæ poſtquam ſuo Creatori fidelis extitit, boniſq; ſui Angeli cuſtodis conſilijs paruit, poſt annos vitæ ſuæ laudabiliter exactos, ab eodem Angelo in beatam illam patriam, in illa æterna iu-

Tob. 6. & 10.

Galat. 4.

Rom. 8.

na iustorum tabernacula introducetur. Ibi celebrabuntur veræ nuptiæ agni cum sua dilecta sponsa, ibi plena erit lætitia, perfecta pax & quies sine fine. Sed tu anima mea, quæ per omniũ vitã tuam nõ aliud prẹstitisti quã offendisti Creatorem tuũ, bonumq; Angelum custodem mẹrore affecisti, quod solatium illi erit in te deducendo in conspectum Patris tui? & tu qua fronte aud bis comparere coram illo? Heu Deus an ergo mihi desperãdum est? non certè Cum enim *Luc. 15.* misericordiæ tuæ non sit numerus, & in persona illius boni Patris Euangelici tanta caritate filium pœnitentem receperis, planè confido, me, si de anteacta vita dolens & pœnitentiam agens ad te Patrem meum reuertero, non eiectum, sed receptum à te misericordissimo Patre iri, si non vt filium obsequentem, saltem vt pœnitentem. Iam verò quid retribuere poterimus Domino *Psal. 115.* pro talibus & tantis beneficijs à sua Maiestate receptis? quicquid enim debemus beatis spiritibus, quorum opera hæc beneficia nobis contigerunt, id totum debemus Crea- *Psal. 90.* tori, qui angelis mandauit, vt nos custodirent in omnibus vijs nostris, quanquam ipsis quoq; angelis custodibus, ob immensam eorum in nos caritatem, fidumque ministerium demonstratum maximas gratias debeamus. Et primo quidem Angelo tuo

nomine assistentię perpetuę, debes honorē, cultum, & reuerentiam, cauendo ne in eius conspectu facias, quod non faceres in præsentia cuiuscunq; hominis te superioris: ac væ tibi, si hic Angelus sanctus, tuis peccatis & negligentijs offensus, te sua prędentia, angelicaq; visitatione reputauerit indignum. Præter hæc multæ sunt virtutes, quæ angelis Sanctis placent, quasque optant in animabus nostris videre, atq; illis consequendis omne studium merito adhibere debemus. Eæ sunt, sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, frequētes gemitus cum lachrymis deuotis, & oratione feruenti: sed super omnia, vnio, pax, & fraterna caritas: eæ sunt virtutes, quas imprimis angeli pacis â nobis
Genes. 1. postulant. O anima mea, ô imago creatoris pulcherrima, vtinam tuam dignitatem agnosceres, quantum amata sis à Deo, quantiq; ab Angelis æstimata; non dubium, quin, ad non inferendam amplius iniuriam illi, qui tantoperè te honorauit atq; ad non contristandum tuum fidelissimum custodem nó amplius tam facilè sis peccatorum fece & sordibus te cõtaminaturus, Nam si tantum
Matt. 28. gaudium est in cœlo apud omnes angelos pro vnius peccatoris conuersione, cogita quanta mæstitia afficiatur bonus tuus Angelus, dũ videt te per peccatum spoliari diuina gratia: Si enim sanguinem vel vitam ha-

haberet, quam profundere posset, libenter ad imitationem Domini pro tua salute profunderet. Age ergo vt illis potissimum te exornes virtutibus, quę exhilarant angelos, & Creatorem glorificant, vt ex his pretiosorum meritorum seminibus, conuenienter virtutibus angelicis, fructum dulcissimum similem ipsorum Angelorũ præmio çolligere possis.

COLLOQVIVM.

ORABIS Deum Dominum nostrum, vt sicut ille tam mirabili ordine in hominum gratiam distribuit Angelorum suorum officia & ministeria, ita tibi quoq; cõcedere dignetur, vt ab omnibus illis beatis spiritibus, semper diuinæ eius Maiestati assistentibus in cęlo, & seruientibus, tua vita continenter custodiatur, & à crudelibus tuis inimicis defendatur. Et sicut illis tam copiosum gratiæ donum concessit, sic velit per eorum orationes tibi quoque concedere gratiam, eorum humilitatem, caritatem & puritatem imitandi; vt in terra ducens vitam angelicam, merearis aliquando similis angelis reddi in cœlis, & cum ijsdem optata glorioſi Dei visione in æternum perfrui & gaudere.

DOCVMENTA.

1. Dominus dicit, nisi efficiamur sicut parvuli non ingressuros nos in cælum: nam vt ipse alibi dicit. Talium enim est regnum cœlorum. Quare si saluari volumus, conuenit nos paruulorum habere proprietates talibusque vti moribus, qualibus illi in illa ætatula vtuntur. Parnuli simplices sunt, malitiæ expertes & fraudis, puri sunt mente, & corpore, honorem vel dedecus non æstimant iniuria nemiuem afficiunt, illatam non vindicant, non contendunt cum quoquam, omnibus cedunt, deniq; timēt suos maiores, facilēq; illis se submittunt. Atque hæ sunt virtutes Christianæ, quas ipse Christus professus & imitandas docuit, cum dixit, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, in quibus duabus virtutibus omnes dictæ proprietates continentur.

Matt. 19.

Matth. 11.

Rom. 8.

2. Dixit quoque Dominus: Qui humiliauerit se sicut paruulus iste, erit maior in regnum cœlorum. Quam benè ergò dixit Apostolus sapientiam carnis inimicam & contrariam esse sapientiæ Dei: in mundo enim illi putantur maiores, qui honoris, & existimationis suæ statum & gradum diligenter tuentur, quos Deus nihili facit. Contra verò, qui rationem honoris sui non habent, & conantur se demittere, omniumq; pedibus subijcere, verè sunt in conspectu Dei magni, & in cælo etiã alijs erunt maiores, secundùm dictum sapientis. Quanto maior es, humiliate in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.

Eccl. 3.

3. Quanto minorem homo se fecerit alijs, tanto reddetur maior: quia quò quis humilior est, hoc similior

milior & vicinor est Christo, qui est supra omnes. Quod si ita sit, non deberent Christiani, & homines spirituales inter se contendere de primo loco, & honoris prærogatiua, sed potius de loco vltimo. Qui enim optat primum locum obtinere in terra, inueniet in pudefactum in cœlo. Ne ergo studeamus videri maiores alijs, sed potius faciamus nos inferiores omnibus, nō enim iustior aut melior est, qui honoratior; sed potius quo quis iustior hoc maiore honore dignior.

4. Si tanta reuerentia deferenda est sanctis angelis custodibus, vt sicut Dominus commendat, propter illos neminem pusillorum contemnere debeamus; & similiter Apostulus consulebat mulieribus, vt capita sua tegerent. ne forte vanitate sua vel indecentia offenderent Angelos salutis hominum promouendæ cupidos: quanto potius cauere debemus, ne iniuria, vel alia noxa grauiori offendamus proximos nostros, siquidem offendendo illos, offendimus quoque ipsorum angelos, qui velut amici & intimi Deo domestici, exigent contra nos vindictam, vel proculdubio obtinebunt.

5. Etsi angeli tantam auram & studium adhibeant in hominum custodia, nūquam tamen mente cessant contemplari Patris cælestis faciem, nec à diuino amore deuelluntur: nam cura & sollicitudo, qua tanguntur propter nos, subordinata est ipsi amori, & propter amorem Dei ab ipsis suscepta est: Sic homines pij & spirituales, dum curis & occupationibus externis destinentur, procurare debent, vt illæ non solùm non impediant interna exercitia, sed etiam promoueant ad fructum spiritalem & rerum diuinarum contemplationem. Quod effi-

eueniet; quando sanctorum angelorum exemplo, efficient vt actiones externæ procedant, & efficaciam suam sortiantur ab internis, ab his ordinentur, & dirigantur, id est, vt non alio fine, quam ex puro Dei amore suscipiantur.

6. *Qui curam habent homines adducendi ad pœnitentiam, non debent vnquam à cœpto desistere, ob fastidium laboris, aut quia vereãtur rem non habituram optatum exitum in illis, quos spiritualiter iuuare volunt: sicut suo exemplo nos docuerunt custodes Angeli, qui nunquam curam & custodiam peccatorum deserunt, etiamsi diuinitus cognouissent, eos quorum curam habent, nunquã cessant eos quamdiu in hac vita sunt, & in statu, quo per pœnitentiam ad Deum redire possint ad emendationem exstimulare.*

7. *Seneca Philosophus gentilis, scribens ad amicum quendam suum. monet eum, vt si in actionibus sermonibusq; suis à recto discedere nolit, cogitet sibi semper Catonem tanquam seuerum Censorem assistere. Quo documẽto multo magis nos Christiani vti deberemus, cogitareq; in omnibus actionibus nostris semper præsto adesse Angelus custodes, vti seueros cẽsores nostros, idq; eo fine, vt ista cogitatio reddat nos memores nostri, ac sedulo expendamus quicquid agere vel dicere volumus: si enim aliter fecerimus, verendum erit, ne qui sunt iam aduocati nostri apud Deum, postea in die iudicij fiunt nostri accusatores.*

FINIS.

INDEX CAPITVM

Epistola dedicatoria Illustrissimi Marchionis Castilionensis, ad Pont. Max. pag 3.

Epistola dedicatoria auctoris ad eundem Marchionẽ 8

Prafatio auctoris ad Lectorem. 11

Praclarum testimonium de B. Aloysio, & hac historia, à quatuor Reuerendis, & religiosis Patribus, qui eam legerunt, & cum publicis instrumentis contulerunt, Brixiæ datum. 20

Patris vicarii inquisitionis Dominicani. ibid.

Patris Lectoris Monachorum Benedictinorum Cassinensium. 21

P. Prouincialis Cappucinorum. 23

P. Rectoris Societatis Iesu. 24

R. Generalis Societatis Iesu. 26

Priuilegium prouincialis eiusdem Societatis. 27

LIBER PRIMVS.

De eius natalibus, & educatione vsque ad annum septimum. cap. 1. pag. 28

Florentiam à patre ductus virginitatem Deo vouet magnosq; in sanctiore vita progressus facit. c. 2. p. 45.

Mantuam reuocatus consilium capit Ecclesiastico more viuendi. c. 3. p. 57

Castilionem reuersus eximiam precandi facultatem consequitur diuinitus, & sancta mysteria frequentandi initium facit. c. 4. p. 60

Profectus in Montemferratum graui vitæ periculo defungitur: animum ad religiosorum institutum appellit. c. 5. p. 71

Castilionem cum patre reuersus per summam austeritatem vitam agit, & diuina ope incendium euadit. c. 6. p. 81

Proficiscitur cum Marchione in Hispaniam, & qui modo vitam illic in regia traduxerit. c.7.p.94
Societatem Iesu inire statuit, idq; consilium parentibus aperit. c.8.p.103
Reuertitur in Italiam consilium eius varie oppugnatur. c.9.p.118
Mediolanum negotiorum causa mittitur, & quæ illi sint gesta. c.10.p.135
B. Aloysius primum Mantuam profectus spiritualibus exercitationibus vacat, deinde Castilionem reuersus denuo oppugnatur. c.11.p.147
Tandem Marchionis titulo, fortunisq; abdicatu, Romam profectus, Societati Iesu adiungitur, c.12. p.163

LIBER SECVNDVS.

Quam præclare tyrocinium religiosæ vitæ posuerit. c.1. p.180
De rebus, Romæ in professorum domo, cum inibi moraretur, ab eo gestis. c.2.p.201
Quemadmodum reliquum tyrocinii tempus traduxerit, deq; singulari eius precandi facultate. c.3.p.213
De insigni sanctitate Magistri, sub quo tyrocinium posuit, quam ipse æmulabatur, atq; vt cum eodem Neapolim profectus complures ibi menses moratus sit. c.4.p.23
De vita, quam instituit, cum in Collegio Romano studia literarum incumberet, deq; virtutibus, quibus erat ornatus. c.5.p.24
Mittitur in patriam ad sedandas discordias, quæ inter Ducem Mantuanum, & Marchionem ipsius fratrem graues extiterant, vti in eo negotio se gesserit, feliciterq; processerit. c.6.p.30
De præclaris virtutum exemplis, quæ eo breui tempore quo Mediolani versatus est, de se dedit. c.7.p.32
De consummata perfectione B. Aloysii, & suprema infirmitate. c.8.p.344

De praparatione ad mortem à B. Aloysio adhibita, deque ipsa morte. c.9.p.370
De exequiis, sepultura, & iis quæ corpori B. Aloysii acciderunt. c.10.p.385

LIBER TERTIVS.

De literis post ipsius mortem à compluribus scriptis. c.1. p.394
Luculentum testimonium, quod B. Aloysio Robertus Bellarminus Cardinalis amplissimus dedit. c. 2. p.400.
De compluribus miraculis, ac beneficiis intercedentibus B. Aloysii precibus concessis diuinitus. c.3.p.403
Meditatio de Sanctis Angelis, atq; iis inprimis, qui hominum custodiæ præsunt, à B. Aloysio Gonzaga conscripta. p.433
De Angelis in communi. p 435
De Angelis speciatim. p.497

Ad maiorem Dei gloriam.

Typo-

Typographus Lectori.

Fecit, pie Lector, locorum interuallum, quo à nobis interpres distat, vt nonnulla vitia, quæ etiam sensum inuertant auctoris, irreperent, ea te, vt prius corrigas, rogo, quam ad legendum accedas.

PAg. 3 *in titulo, pro* Castilien sis, *lege* Castilionen sis. *pag. 5. versu* 2. eum *l.* eam. *p. 13. v. 14. dele* & *Ibidem v. 18.* Ludouicus, *lege* Aloysius. *p. 15. v. 9.* Ludouici, Aloysii. *p. 21. in tit.* Castinen sium, *leg.* Cassinen sium *p. 26. v. 25. pro* in *l.* vi. *p. 33. v. 10.* Vbi, *l.* Ibi. *p. 37. v. 21.* Iunetum, *leg.* Tunetum. *p. 40. v. 8.* qui, *l.* quæ. *Ibid. v. 29.* sepetem, *l.* segetem. *p. 43. v. 18.* omnibus, *l.* omnibusque. *Ibid. v. 21.* ipsæ, *l.* ipsi. *p. 45. v 3. post* subiici, *adde* nunquam. *Ibid. v. 12.* alios, *l.* alias. *Ibi v. 22.* illum, *l.* illam. *p. 42. v. 22.* coniunge, *l.* coniuge. *p. 59. v. 21.* vocabat, *l.* vacabat. *p. 61. v. 21.* suo, *l.* sua. *pag. 63. v. 27.* peditus, *l.* pedibus. *p. 65. v. 10.* Christianorum, *l.* Christianarum. *& seq. v.* est, *l.* &. *p. 66. v. 26. dele* Anno dicto. *p 45. v. 17.* vbi, *l.* ibi *pag. 76. v. 24.* nobis, *l.* nolis. *seq. v. pro* ea, *l.* eo. *& pro* erant, erunt. *p. 77. pro* sedulo seculo. *p. 79 v. 2. post* solent, *adde* vsus erat. *p. 85. v. vlt. pro* quando, *l.* siquando. *p. 94. v. 8.* diffuere, *l.* diffluere. *p* 97. *v. 18.* crebris, *leg.* crebrius. *p. 100. v. 11.* prętereitur, *l* prętererituri. *p.* 101. *v. 13.* conspecta, *l.* conspecto *p* 107. *v* 19. *dele* se. *p. 108. v. 1.* præpositus, *l.* propositus *p. 109. v. 19. post* voluntate, *adde* redderetur. *p. 110. v.* 1. *post* matris, *adde* merita. *p.* 111. *post* Marchionem, *adde* de tota. *p. 114. v* 1. *& 3. pro* Ludouicus, *&* Ludouico, *l.* Aloysius, *&* Aloysio. *Ibid. v. antepen. post* fidem, *adde* huius rei confirmauit. *p. 117. v.* 11. Iam, *l.* Tam. *p. 125. v. 4.* aspernanti, *l.* aspernati. *p. 126. v. 24.* at, *l.* aut. *p 137. v. 5.* disciplina, *l.* disciplinæ. *Ibid.* abundant, *l.* abundant. *p. 151. quæ perperam notatur* 157. *vt & præcedens v. 25.* Ludouico, *l* Aloysio. *pag.* 154. *v. 24.*

Iustiz Izzv Paderb.

v.24. præsidnm, *l.* præsidum. *& seq. v.* concitat io concitatiore. *p.157. v. penult.* differe tur, *l.* differretur. *p.164. v.23.* Augustum, *l.* Augstam. *p.177. v.11. post* anagnoste, *adde* vnus è sociis. *p.193. v.26.* putaret, *l.* putarat. *p.203. v.26.* patiebatur, *l.* partiebatur. *p.210. v.14.* pio eo, *l.* pro eo. *219. v.4.* Roberto, *l.* Roboreo. 225. procedebat, *l.* procidebat. 243. *v.12.* iis, *l.* iisdem. 245. *7.* ea, *leg.* eo. 251. *v.4.* admiratione, *leg.* admiratio-n-m. 252. *v.2.* quidem, *l.* quidam. *253. v.14.* ingenia, *l.* ingenio. 272. *v.3.* lucubratiuncula, *l.* lucubratiunculas. *276. v.10.* faciat, *l.* faciant. *292. v.10. & 11. pro* Vah, *l.* Væ. *296. v.10.* instituisset, *l.* instituissent. *307. v.4.* quantum, *l.* quàm. 309. *v.13.* obuiam, *l.* obuium. *321. v.3.* ac, *l.* at. 324. *v.7.* labores, *l.* labes. *327.* En, *lege* Eu. 330. *v.17.* accubuturi, *l.* acubituri. 331. *v.4.* affectione, *l.* affectatione. *Ibi. 26.* vtilitatem, *l.* vilitatem. *332. v.15.* leuauit, *l.* leuarunt. *Ibid. v.16.* addidit, *l.* addiderunt. 333 *v.22.* habitaret, *l.* habitarent. *334. v. 18. dele* ad. *339. v.7.* confirmatione, *l.* conformatione. 342. *v.22* abstracta, *l.* abstracto. 345. *v.11.* extaticam, *l.* ecstaticam. *Ibid. v. penult. post* amplius, *adde* cupiditate. 353. *v.24.* claritatis, *l.* caritatis. *359. v.6.* vndique *l.* rudique. 363. *v.24.* apertam, *l.* apertum. *373. v.15.* ectasi, *l.* ecstasi. 384. *v.2.* visus, *l.* nisus. *389. v.7.* qui, *l.* quin, 391. *v.19.* ligno, *l.* lingneo, 392. *v.3.* rogatur, *l.* rogatu, 407. *v.11.* iaceret, *l.* iacere, 409. *v.10.* pusillam, *l.* pupillam, 455. *v.15.* in, *l.* vi. 456. *v.1.* annum, *l.* anum. 457. *v.13.* scrutati, *l.* scutati. 461. *v.20. dele* non. 465, *v.15.* humani, *l.* sumani. 466. *v.12.* osten disset, *l.* off ndisset. 472. *v.14.* stringit, *l.* obstringit. 481. *v.10. dele*, non.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN